
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXVIII
F
58
NAPOLI



PROSODIAE LATINAE

FUNDAMENTA

CUM

PARNASSO LAPIDARIO

RAYMUNDI GUARINI.





NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

MDCCCXXII.

Opera nobis haec inanis, aut in usum impensa sit?
Sed labor vobis ferendus in legendo est maximus.
Non enim cursim, aut remisse tam minuta acumina
Adsequi quicumque poterit: sed morosa intentio
Tam legentis debet esse, quam fuit nobis quoque,
Qui laborem provocando, perdomando taedium,
Forsitan nec lecta multis e latebris scalpsimus.

Terentian. Maur. *de Syllabis.*

LECTORI

MONITUM

Propositum nobis est in hoc carminum e re potissimum lapidaria selectu primum latinae poeseos exemplaria quaedam praestantissima, vix eruditis pervia, adolescentibus in manus tradere, quo ipsorum studia incendantur ad antiquitatis iter arripiendum, quo sine persuasum nobis iam dudum est, romani sermonis penetralia sanctissima patere nemini revera posse. Deinde των κειμελιων pretii quantivis beneficio nonnulla ad latinae της προσῳδιας rem facientia, alicuius fortasse emolumenti tironibus saltem futura, et aperire, et confirmare. Id consilii nulli hactenus, quod sciamus, in mentem venit. Nam et Ferretti *Musae lapidariae* nihil de metricis disquisitionibus sollicitas se praebent: et quod Bonada nuper volumina duo ediderit cum titulo: *Carmina ex antiquis lapidibus*; pace ejus dixerim, aut operi titulum, aut opus titulo deesse. Cum etenim carminum complexio e vetustis lapidibus inde unice, vel praecipue expectanda videretur; ecce tibi Bonadam in eo totum, ut multa de re funeraria, et quidem erudito illa viro dignissima, illustret, ad quae των επιγραμ-

μᾶτον luce viam sibi aperit, sive prorso ea sermone, sive numeris adstricto decurrant. Operi itaque titulum, nisi fallimur, talem, aut huiusmodi similem, esse oportuerat: *Res funeraria monumentis lapidariis illustrata*. Haec te monitum, Lector, voluimus, tantum ut ne ignorares, nihil labori huic nostro qualicumque, si operis finem, rationemque inspicias, cum his, quae laudavimus, esse commune. Vale.

PROSODIAE LATINAE FUNDAMENTA

AD TIRONES.

Recte est olim a Cicerone (1) observatum: *esse admirabilem quamdam continuationem, seriemque rerum, ut alia ex aliis nexa, et omnes inter se aptae, colligataeque videantur.* Illud, addiderim ipse, prope divinum: quid in quaque serie primum, et caeterorum veluti fons sit, et cernere animo, et oratione exponere dilucide posse. Atque id quidem in omnibus, quae tractanda suscepimus, pro viribus semper esse secutos, fateri minime veremur: utrum quoquo modo simus assecuti, viri docti viderint. Huic certe viae pressius nunc insistendum constituimus in hac vetustiorum epigrammatum complexione e lapidaria in primis penu depromenda, adornandaque in adolescentium unice gratiam, atque emolumentum. Quam ut publici juris faceremus, cum viri docti non pauci, tum praecipue auctoritate sua evicit Vir Cl: idemque amicissimus, Vincentius Matthaeius. Ea porro epigrammata cum adstricta numeris oratione contineantur, operae pretium non leve facturos existimavimus, si de latinae της προσῳδιας genere in universum quaedam adnotaremus, non ignota illa quidem viris eruditis, sed a nemine hactenus, quod meminimus, ita digesta, ut artem hanc in scientiae formam quampiam, compendiumve promoverint. Páucis ergo tiro nostrum omne hac de re consilium accipiat.

---

(1) *De Nat. Deor. Lib. I.*

§. I.

Quaestionis status aperitur.

Vocem in syllabas, si pluribus ea constet; syllabam in brevem, longamve Grammatici universi Graeci, Latinique partiuntur; brevemque longae dimidium statuunt, temporis videlicet pensitatis momentis, quibus efferri alterutram necesse est. Quo nil rectius, et ad της μουσικης αληθειας amussim adcomodatius pronuntiari poterat. Sermonem quippe humanum, graecum ante omnes, romanumque (quod pervidit acute Voltairius) etsi non minusculis illis, quas inducere nuper quidam conati sunt, syllabas in breves, longas, longiusculas, longissimas, et quas nescio alias dividendo, sed musicis nihilominus contineri rationibus quibusdam, res ipsa docet a natura sine dubio profecta, quam tamen in communibus ita suppeditare necessaria novimus, ut a curiosioribus temperet.

Qua una re, etsi caetera deessent argumenta, graecae, latinaecque numerositatis liceret vim, praestantiamque ediscere, quibus unis datum, quod in nostris hisce fere neglectum, ut syllabam quamvis ad temporis ante veluti trutinam animo expensam, deinde sono etiam referrent, non sine magna aurium voluptate; quo nunc sensu careamus, oportet, qui longe aliter assueti in penultima vix, aut antepenultima ad summam dictionis cujusque haeremus tantisper, caeteras vorare magis, quam eloqui contenti. Quamobrem illud eruditos inter convenit, Homerum, Virgiliumque, vel si mavis, Demosthenem, Tulliumve, si quid ab ipsis olim exaratum audire sibi nunc contingeret, non magis admiraturos, intellecturosve, quam si quis exotica prorsus, inauditaque lingua loquentem audiat. Cum itaque dubitari nequeat, graecum carmen, latinumque, si ea nunc tempusculorum mora, distinctioneque efferatur, qua

olim efferri mos erat, non minus iucunde vel imperitas aures affecturum, quam musicus concentus quidam; non video, cur in id, privata saltem lectione, non contendendum a viris doctis, quod non adeo conclamatum puto, ut glabrariis fortasse literatis prima fronte videri queat. Verum ad Grammaticos redeo, quibuscum praecipua mihi res est.

Atque hi laudandi omnes in primis, quod naturae modum secuti syllabam in brevem dumtaxat, longamque dispescuerunt. At si hos eosdem roges, eccur hae syllabae ipsae tales habeantur, et sint revera, uno universi ore respondebunt: contractione, posituve exceptis, quorum utrovis, si pauca demas, syllaba longa constituitur, caeteras ad unam omnes tales *natura sua* constare. Qui si de una brevi hoc docere contenti tacuissent de longa, nihil profecto esset, quo nos in diversum ab iisdem abiremus. Sed cum syllabas quoque longas non paucas intra doctrinae hujus cancellos incluserint, id vero est, in quo nostra cum ipsorum tota confligitur oratio, idque duplici de caussa. Primum, quod non satis adcurate definierint, quid antiquis nomine syllabae *natura* longae comprehensum sit. Secundo, quod persuasum nobis est, syllabam unam brevem talem *natura* extare, si quod res est, perpendamus; longas quascunque evadere, vel positu, ut ajunt, vel contractione. Quae utrum iure, vel injuria contendamus, doctorum esto judicium, ubi caussam ante paucis agere siverint.

§. II.

Quaestio in primis a priori, ut aiunt, resolvitur.

Ni fallimur, quaestio a priori, quod inquiunt, facili negotio solvi potest. Nam qui de syllaba quaerit tum brevi, tum producta, perinde facit, ac qui de puncti, unitatisque simplicitate, tum de corporis, binariique compositione interrogat; quorum alterius nulla excogitari ajens ratio potest, negans dumtaxat afferri potest, quod nimirum nec punctum in partes, nec unitas in unitates alias generis ejusdem secari potest. Sed alterius adfirmans, planeque idonea exsistit ratio in eo posita, quod corpus partibus, binarius duplici constat unitate. Est itaque natura syllaba brevis, quae in alias aeque breves tribui nequit, ut natura punctum simplex, cujus nullae sunt partes, naturaque item simplex unitas, quam non est in unitates alias dividere. Sed contra ut corpus partium coalitione, binarius additione unitatis ad unitatem exsistit, ita syllaba longa quaevis non per se proprie, naturaque sua, sed e duarum brevium complexione emergit. Id autem nullo pacto assequeris, nisi aut duarum vocalium coitione, aut duplici consona suffixa vocali, quae duplicem idcirco morulam patiatur. Quid igitur, inquies, vocalesne universae natura breves? Et hoc ajo. Quid itaque, repones, *ancipitibus* graecorum vocalibus faciemus? Atqui ego: si nomen quaeras, ipsos interroga, qui docent. Si rem, aut nullam extare ancipitem affirmo, aut omnes extare tales. Ecquid enim vocalis anceps? quae videlicet modo correpta, modo producta occurrit. At fatum hoc omnibus commune. Non minus enim e, et *o* breves, longaeve obviant, quam a, i, u.

Sed illud verius, nullam extare ancipitem, vocalesque singulas breves natura esse. Quod adeo antiquis persuasum erat, ut ad

ad eamdem vocalem corripiendam, producendamve, modo altera consona multarint, modo auxerint, si nulla erat vocalium coitio. Nam ecce tibi *Casmoinam*, *relligionem*, *litteram*, *aqquilam* cum primis productis, et deinde correptis in *Camoena*, *religione*, *litera*, *aquila*. Cum igitur et vocales reliquae ab *e*, et *o*, vices harum omnes subeant, ut breves interdum, interdum longae occurrant, cur non et duplex his quoque nota adsignata, quod in prioribus illis factum graecis grammaticis videmus? Nimirum quid res ipsa posceret, viderunt illi: quousque naturam ducem sequi oporteret, aut parum videre, aut in id, quod viderant fortasse, progredi non sunt ausi. Caeterum omnibus notum, η graecorum duplici ε, vel duplici vocali cuivis, et ω duplici ο aequari. Cur autem distinctione hac minime uti placitum romanis, qui cupit, a Terentiano accipiat *de literis*:

Compendia nostri meliora crediderunt,
Vocalibus ut nonnisi quinque fungerentur,
Productio longis daret ut tempora bina,
Correptio plus tempore non valeret uno.
Hinc ἦτα minus scribimus, hinc nec ω supremum:
Una quoniam sat habitum est notare forma,
Pro temporibus quae geminum ministret usum.

Marius item Victorinus de Orthogr. testatur, Graecos vocales habuisse totidem, quot et nos, a, e, i, o, u: *nam*, η, *et* ω *postea sunt ab his reperta. E*, et *o* ternas habent apud eos potestates, ut *e esset breve*, *et productum*, *i autem longum quodam modo sonat*, *ut et e*, *et i iunctum est. Et o similiter quoque cum esset unum*, *brevem*, *et idem faceret syllabam longam*; *praeterea exprimeret vocem*, *quae apud eos per o*, *et υ scribitur ου*: *sic apud nos quoque e*, *et o totidem potestates habebunt*, *et easdem*, *quas apud Graecos*. Vides igitur *o* duplici via productum, quorum al-

tera in *ou*, id est, in veri nominis diphthongo patet, alterius nullum est reperire vestigium, nisi ad ipsius *o* geminationem confugias. Nam de *o* simplici, adeoque brevi, nulla oriri quaestio potest.

Uno igitur usu magistro, vigente lingua, praestabatur, ut duplo tempore syllaba longa, alia licet alia ratione, ut infra videbimus; unico brevis efferretur, etsi nil tale primum scriptione deprehendere esset. Quamobrem ad ambiguitates praecavendas a Naevio primum, Livioque cautum, ut aliter producta vocalis, aliter correpta scriberetur, quem morem ad Accii usque tempora perseverasse novimus. Pronuntiationi idcirco subiicienda ἡ ορθογραφια in re nostra, non e converso: et quamvis haec posterior foederata tandem pronuntiationi sit, Naevio, Livioque sequestris; foedus tamen perpetuum non fuit, resque ad pristinum rediit. Eaque prorsus de causa Terentianus ipse paullo supra laudatus modum praefinit vocalis ejusdem nunc raptim, nunc lente referendi in haec verba:

Igitur sonitum reddere cum voles minori,
Retrorsus adactam modice teneto linguam,
Rictu neque magno sat erit patere labra.
At longior alto tragicum sub oris antro
Molita rotundis acuit sonum labellis.

Quod proprie dictum arbitror de vocali *natura*, ut aiunt, longa.

Sed de romana pronuntiatione haec παχιτερως per transennam tetigisse sufficiat, de qua minutiora infra dabimus. Nunc ad rem ipsam quod attinet, rediens post diverticulum, Iupiter! haud breve, intelligo, quae hactenus disputata sunt, ea pro tironum captu paullo fortasse subtiliora videri posse. Ergo quaestionem ipsam αναλυτικως, seu a *posteriori* adgredimur, nec dubitamus, viam hanc illis planissimam iuxta, tutissimamque futuram. Sed quaedam ante necessario monenda.

§. III.

De vocalium contractione, variisque eiusdem speciebus.

Contractio duarum vocalium coitione proprie efficitur, quae, etsi τȣ χρȣνȣ momentis pensatis, duplicem referant sonum, unam tamen syllabam constituunt, quae longa censetur idcirco, quod duplici brevi aequiparatur. Contractio omnis, si vim vocis inspicias, συναιρεσις graece apte dici queat: sed est aliquid tamen ita συναιρεσεος proprium, quo a *diphthongo* secernatur, quae contractionis species est. De hoc paullo post. Vocalium coitiones hae sunt:

1. Aa. ee. ii. oo. uu.
2. Ae. ai. ao. au = Ea. ei. eo. eu.
   Ia. ie. io. iu = Oa. oe. oi. ou.
   Ua. ue. ui. uo.

Ex his septem vulgo diphthongi enumerantur, nempe:

Ae. ai. au. ei eu. oe. oi.

Sed cur non et *eo*, *ue*, *uo* addiderint grammatici, non video. Non enim minus *musae*, vel *musai* dicebatur, quam *domineo*, et *senatue* pro *domino*, et *senatu*, unde et *o* finalis in *domino*, et *u* in *senatu* producta, et *quoius* videtur *cuoius*. Sed id fortasse ex eo factum, quod duplex vocalis retenta in prioribus, voce non minus, quam scriptione; neglecta deinceps in posterioribus scribendis est, quas satis habebant referre loquendo. Nisi placeat magis cum Victorino dicere: *ia*, *ie*, *ii*, *io*, *iu*, *ua*, *ue*, *ui*, *uo*, *uu diphthongos non dictas ideo*, *quod sunt per vocales loco consonantium positae*. Inde *Synaeresin* proprie locum habere puto in iis diphthongis, quibus *i*, vel *u* affixa, vel suffixa videntur. Hoc siquidem in casu alterutra haud raro de vocali in consonam transit, vocalemque praeviam interdum longam facit positu. Patet id ex illo Ennii:

*

Avium praipetibus sese, polcreisque loceis dant.

Nisi enim το *avium* in *av-ium* resolvas, ut ex *ariete*, et *abiete* quadrisyllabis factum quandoque *ar-ie-te*, et *ab-ie-te* trisyllabum, nullo pacto tibi metri ratio constabit. Atque in his omnibus primum tantum *a* productum ratione consonae duplicis consequentis, caeteris, quae sequuntur, quales se ipsis sunt, manentibus. Nam et primum *e* in *ariete*, et *abiete* semper correpta, sive synaeresi utaris, sive non, et *e* in *suetus* semper productum, sive *sve-tum* dicas, sive *su-e-tus*. *Synaeresis* ergo proprium, duas in unam syllabas contrahere, vocalium alterutram in consonam transferendo.

Diaeresis ex adverso consonam in vocalem transfert, eâdemque servata temporis mensura, syllabam positu longam in binas solvit breves, vocales ambas, ut cum dicimus *so-lu-is-se* pro *sol-vis-se*. Eaque de caussa in diphtgongis, quibus suffixa *u*, ut in *au* et *eu* synaeresin potius, quam veri nominis diphthongum latitare arbitror. Quae de *i*, et *u* consonis dicta sunt, vide, quam belle consentiant cum his, quae Terentianus docet *de liter.*

I cum medio nomine sic erit locata,
Vocalis ut illam latere ex utroque coartet,
Baiana velut, *Peior*, item *Troia*, vel *hujus*,
Ipsa, ut docui, consona fit a sequenti.
Et si brevis est, quae posita est loco priore,
Longam faciet non minus hanc consona sola,
Ceu longa fit olim, quoties duae sequuntur.
Aut si nimium est hoc dare, vocalis ut una
Fiat similis tempore consonis duabus,
Atque *i* geminum scribere nos iubent magistri,
I consona fiet, simul et sequens priorem.

Terentiano itaque dante, nimium est dare, vocalem, simplici consona sequente, longam evadere, quo in casu duplican-

dum *i* praecipiebant οἱ διδάσκαλοι, ut utroque in consonam verso, vocalis longa positu efficeretur. Adeo falsum, simplicem vocalem natura *longam*, sive *ancipitem* extare posse! Sed negat Maurus idem, et iure negat, contingere id posse in *u* media binas inter vocales, ut ad voces *lavor*, *nives*, *pluvia*, *novales*, quod in his omnibus *u* sola consona ipsa fit. Manet igitur ex Mauro, *Ba* ad vocem *Baiana*, et *pe* ad vocem *peior*, ne singula repetam, longas censeri *positu* magis, quam alia quavis ratione. Non omittendum tamen, quibusdam olim visum, has easdem syllabas longas habitas, non positu, sed duplicatione eiusdem vocalis, quam syllabam *natura* longam veteres dicebant, ut infra dicemus, quod initis a nobis de quantitate latina rationibus suffragatur, non incommodat. En eius verba:

I media cum locatur hinc, et inde vocalium,
Troia, sive *Maia* dices, *peior*, aut *ieiunium*,
Nominum primas videmus esse vocales breves.
I tamen sola sequente, duplum habere temporis.
Ergo vel loco duarum consonantum fungitur,
Vel gemella si locanda est, ut videtur pluribus,
Bis tibi vocalis eadem praebet usum consonae.

Caeterum, si quid video, ludit verbo Terentianus. Nam si geminata vocalis usum praebet consonae duplicis, iam res ad *positum* redit. Sed satis de *i* consona. Nunc de *u*, de qua testis prodeat idem Terentianus:

Hanc (u), et modo quam diximus, *i* simul iugatas,
Verum est, spatium sumere, vimque consonantum,
Ut quaeque tamen constiterit loco priore.

Terentiano hac in re concinit et Probus Grammaticus. Iure igitur non omnium optimo contendit Scioppius, *i*, et *u* vocalium apud veteres nusquam obtinuisse potestatem.

§. IIII.

Altera contractionis species, quae in eiusdem vocalis geminatione reposita est, stabilitur, quaeque inde consectaria, ostenditur.

Contractio haec, ut omni alia argumentatione destitueretur, vel illo uno Augustini testimonio staret, quo docemur, aetate ipsa sua, adeoque seculo quinto vergente, unica pronuntiatione secretum, quod secerni alias scriptione nequivisset, *os* puta, quod stat pro *ore*, απο *os*, quod accipitur pro *osse*. Primum quippe producebatur, corripiebatur posterius. Atqui prius illud ni ita efferas, ut *oos* audientium auribus ingeras, eamdem nempe vocalem sive continuando veluti musico quodam ligamento, qui Florentinorum fere mos est, per duplum tempusculum; sive potius duplicando, quod veteri τῃ ορθογραφιᾳ magis congruit, siliceo ipse lapide hebetior sim, si qua praeterea ratione alia tute ipse assequi valeas.

In eamdem Augustini sententiam loquuntur apertissime Accius, et Marius Victorinus, quorum ille diserte docet, *geminatis vocalibus scribi natura syllabam longam*: alter vero de Naevio, Livioque sic testatum reliquit: *Naevius, et Livius, cum syllaba longa scribenda esset, duas vocales ponebant* (1), hoc est eamdem geminabant. Addit enim; *praeter quam quae in i literam inciderat: hanc enim per ei scribebant Cneius, Pompeius.* Atqui nunc demum intelligi datur, quas olim latini grammatici *syllabas natura longas* dicere consueverunt. Eas sine controversia, geminata vocali eadem, efferebant, et vero ad aliquod tempus scripserunt etiam. Nam pro his, quae

(1) *Pag.* 2456.

duplici constant vocali diversa, ut in diphthongis stricti nominis, nil tale opus fuerat; et si factum, contra rationem factum sine dubio foret, cum inde non duae breves, quae unicae longae aequales sunt, sed tres omnino breves syllabae emersissent. Ad voces igitur *Cnei*, et *Pompei* e quidem natura longam, utpote duplici *e* prolatum, sed unico nihilominus scribebatur, quod ad hiatum vitandum cautum puto, ne quatuor veluti vocales coacervari viderentur, si loco τȣ *Pompeius* scriberetur *Pompeeius*. Praestat et Donatum hac de re audire de syllab. *Longae* (ait ille) *aut natura sunt*, *aut positione fiunt*: *natura*, *cum aut vocalis producitur*, *ut a*, *e*, *o*, *aut duae vocales iunguntur*, *et diphthongum faciunt*, *ut et aut*, *et eu*, *ei*. Quo e loco videtur, etiam syllabas diphthongo longas dici tales *natura* posse. Sed fortasse primum *aut* delendum de allato grammatici loco. Quod si stare loco velis, latius id dictum oportet. Quid si et strictius? De nomine lis erit: res eadem perstat semper.

Hinc, si quid video, patet rima ad indagandum, quo pacto Veteres aliter syllabam natura longam pronuntiabant, aliter longam diphthongo, aliter demum longam positu fluxili, incertoque mutae cum liquida, de quo discrimine nihil apud Grammaticos certius, etsi nil de modo doceant. Syllabam natura longam duplicata vocali efferebant, ut *Maatris*, *faati* pro *Matris*, et *fati*: ex quo patet *a* in *matris* longum natura, idest a geminata vocali, censendum, positu nequaquam. Quod si syllaba positu incerto producebatur, ut ad vocem *patris*, vox non haerebat in *a*, ut esset *paa*, sed in *t* sequente, quasi si diceres *pat-ris*, vel si mavis, *pateris*. Plane ut in *alter* longum *a*, quod prima morula fit in *l*, deinde resumitur in *t*. Qua etiam de caussa *o* in *quamobrem* semper producendum, quod cum ad aliam syllabam respiciat litera *b*, ad alteram literam *r*, iam duplum tempus pro duplici litera impendi omnino

necesse est. Id ipsum obtinet sine controversia et in consona duplici; nam *traxit* revera est *trac-sit*, et *gaza gat-sa*. Pro diphthongis nullus dubito, quin pro duplici diversa vocali veluti duplex etiam referretur sonus utramque referens. Quod in positu incerto, poetico interdum iure, id in certo obtinet fere perpetuo, ut consonarum altera syllabae antecedentis finis, altera consequentis initium sit. Hinc si vocalis, quam muta consequitur cum liquida, natura longa sit, consona ab altera seiungi nequit; quod si fieret, iam *matris* non aequaretur *ma-a-tri*, sed *ma-a-te-ri*, et *de tri-tus* esset *de-e-te-ri-tus*, non *de-e-tri-tus*. Hae proinde vocales omnes natura, non positu, longae habendae, et dicendae. Syllabae igitur longae quavis de caussa, etsi sub eadem omnes temporis mensura continerentur, in hoc tamen aliae ab aliis differebant, quod non eodem in omnibus loco vocis veluti morulae erant constitutae. Age nunc, quae potissimum vocales a geminata vocali longae censendae, e lapidaria penu paullo altius conquiramus, exemplis a generibus singulorum, non a singulis generum petitis.

§. V.

Quae potissimum vocales, natura longae, idest a suimet geminatione, habendae.

Aa. Ab huius geminatione vocalis repetendam primi augmenti in *a* verborum productionem dubitare non sinunt voces *faatum*, et *naata*, quae in priscis lapidibus conspicuas se praebent. Et quando *eaa* pro *ea* in auferendi casu, et *haace* pro *hac* passim, et in nostra in primis Tabula Oppidensi occurrit, ecquis inde non videat, tamquam e puteo emergentem caussam germanam productionis *a* in fine casus sexti singularis? Pentametron veteris epigrammatis sic clausum videas: *aetatis medio*,

dio, quod facta diaeresi, sic tribuendum puto: *aeta-a-tis medi-o*. Quin fortasse et huc referenda spondaica, quae dicuntur, carmina, si quando talia occurrant per vocalem, quam inquiunt, natura longam. Nam *incrementum* ex. gr. erat sine dubio *increemcntum*.

De nominum augmentis productis in *acis*, *alis*, *aris*, *asis*, *atis* idem omnino esto iudicium. Et ut verbo dicam, et semel pro omnibus dicam, ubi syllabae longae cuiuscunque ratio nec a positu, nec a diphthongo affulget, ad geminationem vocalis eiusdem, qua de agitur, post allata Augustini, Accii, Mariique testimonia tutissimum deinceps esto confugium.

Ee. Pro quibus testimonium dicunt luculentissimum *quereela*, *colleegium*, *seedes*, *feelix*, *ee* pro *e*, *mehe* pro *me*, aliaque innumera, quae passim obviant in veterum qua codicibus, qua marmoribus. *E* in fine sexti casus singularis pro quinta declinatione hac de caussa sine dubio productum, cum *spee* pro *spe* exaratum haud raro videas; et qui nunc sunt *ei*, gignendi casus pro declinatione eadem, erant olim *eei*, uti perspicuum fit ex illo Ennii apud Gellium (1):

Comiter impertit, magna quom parte dieei
Parti fuuisset de summeis rebu' gerundeis
Consilio, endo foro lato, sanctoque Senatu.

De nominibus finitis in *en*, *er*, *es*, quae sunt ab ητα graeco, ut *lien*, *crater*, *lebes*, et hujusmodi sexcentis, praetereo dicere, utpote de re vel caecis manifesta.

Ultimam *e* in tertia plurali praeteritorum indicandi modi eadem de caussa longam arbitror, quam si quando corripi oportuerat, altero *e* multabant, ut in *dederunt*, et *abstulerunt*, quod tamen factum in verbis primae, et secundae coniugatio-

(1) *Lib. XII. Cap. IV.*

nis nusquam memini. Prorsus ut ex unitate addita unitati binarius numerus exsistit, ita ex adverso, dempta unitate e binario, reliqua est unitas: quod Grammatici της συστολης, και διαστολης ambagibus explicent magis, an implicent, dicere non ausim.

Ii duplicis vestigia in *tibiicen*, *nil* pro *nihil*, *mi* pro *mihi*, huiusque generis sane multis, manifeste se produnt. *I* praecipue longum in fine genitivi singularis nominum quintae declinationis, quam vocant, est a geminatione vocalis eiusdem; nam *reii* primitus dictum, quod post *rei* scriptum. Quin et *coniugii* pro *coniugi*, et *eii* pro *ei* in dandi casu scriptum passim videas in veterum marmoribus, codicibusque.

Oo. Occurrit ad voces *oolim*, et *poopulus* (arborem subaudi): quin et *cogo*, *compertus*, *connexus*, Gellio teste (1), quondam dicebantur *coogo*, *coopertus*, *coonexus*. Nam de *o* latinorum longo, quod graecorum ω respondet, ut in vocibus *o*, et *Androgeos*, et *Helicon*, et quae quis memoret? nil opus est dicere.

Uu. En tibi in primis *luuci* pro *luci*, unde argumentum sumas, eccur quaedam augmenta in *ucis* longa. Habes deinde et *ruus*, et *iuus*, et *Muucius* pro his, quae nunc *rus*, *ius*, et *Mucius*. Videas et *fuuit*, et *genuuit*, prima syllaba in priore producta, altera in posteriore, ob ejusdem *u* duplicationem. Nam quod editum vulgo videas *fuvit* et *genuvit*, quasi si alterum *u* in consonam transierit, id mendosum, et de nihilo est. Nam consonae unius *u* non ea est potestas, ut vocalem in longam provehat, nisi *a* in *avis*, et *o* in *ovis* simili ratione longas evadere posse, velimus. *Adnuuit* quoque occurrit in fragmento Enniano apud Priscianum:

---

(1) Lib. II. Cap. 17.

Adnuuit sese mecum decernere ferro.

Quod, ut placeat diaeresis, longum natura arbitrator *a* duplicato *u*.

Et haec satis ad *iuris*, ut aiunt, *factique* firmandam *praesumptionem*, qua, positu, vel diphthongo deficiente in syllabae momentis pensitandis, ad vocalis eiusdem geminationem, veluti in sinum, te recipias. Sed vereor tamen, ut nonnullis labor hic noster omnis velitatio mera videatur, vel ad summam vix levis cum exercitus parte modica conflictus. Constitutum est igitur, acie tota rem expedire, omnique exemplorum genere ostendere, nullam usquam apud Latinos syllabam extitisse reapse longam, quae non talis aut geminatione vocalis eiusdem, aut positu, aut diphthongo demum fuerit.

§. VI.

Syllaba nulla longa, quam non aut a positu, aut a diphthongo, vel a geminatione demum vocalis eiusdem repetas.

A. Praeter ea, quae de duplici *a* superius dicta sunt, vocalis eadem non raro longa censenda tacito, exoletoque positu, ut cernere est in voce *fas*, quod olim erat *fans*. Hinc non semel in marmoribus *infas* pro *infans*. Frequentius si post *a* sequitur *i*, fit synaeresis ex *i* duplicato, quo utroque in consonam transmigrante, syllaba fit positu longa. Sic *Maia* erat *Maiia*, ut scribere Tullius amabat, idest *Mai-ia*. Idem de *Caio* dicas, caeterisque similibus. Communius tamen, deficiente positu, sui ipsius geminatione vocalis eadem producitur.

E desueta positione longae suppetunt exempla in vocibus *toties*, *quoties*, *quinquies*, *decies*, *vigesimus*, *quadragesimus*, *sexagesimus*, et ita deinceps, quae fuere olim

totiens , *quotiens* , *quinquiens* , *deciens* , *vigensimus*, *quadragensimus* , *sexagensimus* , et ita porro. Nec me latet, Lipsio visum , *n* insertum vocibus hujusmodi qua dratariorum , exscriptorumve inscitia, qui lineolam horizontalem voc a li longae supra positam loco τῆς *n* acceperunt. Sed primo : eccur in his tantum vocibus destertuere tam saepe v eteres sive lapicidae , sive exscriptores , in aliis non item ? Deinde: Marius Victorinus in *Orthograph.* diserte tradit , per *n* scribenda adverbia *totiens* , et caetera. Postremo : hoc etiam si Lipsio detur , res adhuc integra est, cum ad geminationem redeat ejusdem vocalis. *Pejus* , quod Ciceroni erat *peiius* , *ejus*, pro quo veteres *eiius* , et hujusmodi non pauca , transigenda synaeresi , ut modo diximus, qua res ad *positum* redit. Duplicis *e* vestigia se dant tutissima ad voces *quereela*, *feelix* , et alias paullo supra allatas. Inde etiam producta *e* in dissyllabis *quietus* , et *suetus* , aliisque similibus, quas , si quis ob synaeresin productas autumat , nae is oppido fallitur , cum simili ratione primum *e* in *ar-ie-te* , et *ab-ie-te* produci oporteret , quod nemo somniavit. Vocalis hujus productae aliquando in caussa est *ae* ut in praeteritis *egi*, quod est *aegi* ab *ago* , et fortassis etiam in *cepi* a *capio* , quod passim in vetustioribus codicibus est *caepi*. Interdum a diphthongo *au* , ut in *obedio* , quasi *obaudio*. Et *es* in fine casuum numeri pluralis ob *ei* productum : *omnes* siquidem ex gr. et *homines* fuere *omneis* , et *homineis* ne singula persequar.

I longum pro secunda coniugatione , et *i* in fine imperandi , coniugationis eiusdem, tum in primo incremento verborum quartae , ab *ei* item repetas : *Audere* siquidem Ennio est *audeire* , et *abi abei* , et *scitum sceitum* , et quae quis enumeret ? Sic et *is* , *abis* , *deis* , *obis* , *inis* , *obis* , *praeis* , *praeteris*, *subis* , *transis* erant *eeis* , *abeis* , *coeis* , *deeis* , *ineis* , *obeis*, *praeeis* , *praetereis*, *subeis* , *transeis*. Porro et *itum* in su-

pinis longum, unde *cupeitum* pro *cupitum*, et huiusmodi similia. *I* in fine praeteritorum modi indicativi pro prima, et secunda persona singulari item ab *ei*, ut *meminei*, et *produxistei*. Rursus et primum *i* in praeteritis plerisque dissyllabis, ut *veidei*, *leiquei* pro *vidi*, et *liqui*. Ad haec: infinitorum *i* finale, ut *legei*, et *amarei*, quod est *legi*, et *amari*: quae diphthongus non raro, addito *r*, diaeresi solvebatur, ut *piscarier*, *adipiscier*. Ab eodem *ei* longa *i*, et *is* in fine nominum pro numero plurali, nam *legati*, et *dominis* dicebantur *legatei*, *domineis*. Qua in re, caeterisque similibus, notandum, eadem de caussa, non syncope, longum *tis* pro *tuis*, *sis*, pro *suis*, qui olim erant *tueis*, et *sueis*. Ecquid enim hic syncopen cieas, cujus est, vocem dumtaxat syllaba mutilare, quae cum non amplius sit, syllabam dicere syncope longam, eodem redit, ac id, quod non est, non quantitate solum, sed duplici etiam quantitate donare: quo quid absurdius? Et ut rem propius inspicias, *ma* aeque longum memento, et cum *amaverunt*, et cum *amarunt* dixeris. Facta igitur syncope, quae reliqua est syllaba, talis perseverat, qualis ante uerat. Cuius rei en tibi ex Ennio exemplum opportunissimum.

Ingens coira mi cum concordibus aequiparare.

Mi igitur pro *mihi* correptum, nam facta apocope ad *hi* ro *hei*, superest primum *mi* correptum ob duplicem vocalem onsequentem. Quod si factum velis ob *e* syllabae postremae *i* subtractum, non repugnabo.

Ab *ei* item longum *ei* in fine tertii casus singularis nominum tertiae declinationis, ut *virtutei*, et similia. Extat et *i* ongum ab *ei* in voce *vinum*, si ἀπὸ τοῦ οἴνου derives. Nominum quoque incrementa in *icis*, *iris*, *itis* ab *ei* producta. Sic *erveicis*, *veires*, *leites*, *Quireites*, et alia passim. Jam si de *i* in principio, aut medio vocum dicere adgrediar, in infinitum abeam. En tibi pauca: *preimus*, *ceivis*, *veita*, *feidus*,

leibo , *neitor* , *feigo* , *feicus* , *deico* , *deivido* , *feidum*, *succeido* , *vesteigo*, *subleimis* , *rueina* , *Tibereinus* , *corteina* , *anceile*.

O in fine tertii , sextique casus singularis nominum tertiae declinationis longum propter diphthongum *eo* , ut in *Domineo*, *patroneo* ; itemque *os* pluralis , ut *sueos* pro *suos*. *Fotum* , *motum* quasi *footum* , *mootum* , *lootum* , non ideo quod per syncopen reliqua a *fovitum* , *movitum*, *lavitum*. Tolle namque syncopen : annon *fo* in *fovitum* , et *mò* in *movitum* , ut *la* in *lavitum* , et *ca* in *cavitum* producenda ? *Cogo* pro *coago* videtur et exemplum suppetere diphthongi *oa*.

U productum videas , praeter ea , quae de sui duplicatione supra retulimus , ab *oe* , *oi* , *ou* , *ue* , *ui*. Sic *oetor* pro *utor* , *coera* , et *coira* pro *cura* , *moiros* , *oinos* pro *muro* , et *uno* , et *tripus* ἀπο του τριπυς. Supina longa in *utum* ab *ui*. *Argutum* quippe , quasi *arguitum*, ut *tutum* a *tuitus*. Ab eodem longum *us* genitivi singularis quartae declinationis, ut et auferendi casus ab *ue* , quod loco suo dictum est. De *u* longo non praetereundus Victorini locus *de Ortohgraph*. *Nostri quoties ejusdem soni syllaba longa scribenda esset et ipsa adiungebant o literae. Inde scriptum legitis Loucetios* , *nountios* , *et louumen* , *et caetera*.

§. VII.

Obiecta diluuntur, latinaeque Prosodiae canones statuuntur musicis rationibus accomodati.

1. Sed enim caussabitur quispiam in primis, Marium Victorinum, syllabas *natura* longas dicere, quae *aut diphthongo* constant *aut vocali producta, non sequente alia vocali.*

Resp. Tun Victorinum mihi? ego Marium tibi obiicio. Marius diserte docet, *syllabam omnem correptam, in se vocalem esse unius temporis; productam, duarum accipere potestatem.* De re igitur convenit. Sed ille de *orthographia* agit, idque unum eo loci insinuat, syllabas quasdam natura longas, etsi ales efferrentur, unica tamen vocali scribi consuevisse, cum desuevisset iam Livii, Naeviique mos vocalem in his geminandi. Si ita ais, Marium, ut vides, cum Victorino committes, quique alterum ab altero expediat, quaerendus.

2. Nos parum consentanea loqui, qui vocales omnes natura breves asserimus, deinde nostri quasi oblitos vocales agnoscere, quas Latini grammatici jure, et facto *longas* dixere *natura.*

Resp. Atqui nos de re solliciti in vocibus minime moramur. Simplicem vocalem statuimus brevem, quod unico temusculo effertur. Quam Latini grammatici *natura longam* dicere, ea suimet duplicatione emergit: non igitur simplex, sed revera duplex, quam si *natura* productam dicere lubet, ut a caeteris dyphthongis secernas, per nos licet, et cebit porro.

3. Verum eequanti, inquies, ad generis totius rationem firmandam, quae veluti carptim e veterum monumentis per vos corrasa?

Resp. Sed ecquota, inquio ego, haec eadem illorum pars, quae convehi quo quo vorsum potuissent, a quibus non sine caussa mihi temperandum duxi? Primum enim in talibus notum est, genera singulorum, non generum singula quaeri oportere. Deinde: quod quae non sine taedio sic propinari legenti potuissent, haec per se veterum monumenta perlegenti non sine magno voluptatis sensu sint veluti per gradus ubique occursura. Postremo: quod etsi adolescentium praecipue rationibus consultum per nos iri volumus, eruditulorum tamen superba fastidia declinare satagimus, qui, quod norunt ipsi, si tamen vere norunt, aut scire soli dolo non bono videri volunt, aut patere caeteris benigne putant.

4. Recte id quidem, ais: sed si, quae constituta vobis sunt, firma sint revera, unde factum, ut unius, ejusdemque syllabae haud raro non diversae facies, sed plane pugnantes inter se sint? Nam ecce tibi syllabam eamdem modo productam, modo correptam, ut longe procius sit, rem totam arbitrio transigere, quam certis legibus definire? *A* in fine *του puta* breve, quod rectius fuerat producendum, ut in caeteris imperandi modis huiusmodi. *I* correptum in fine *nisi*, et *quasi*, quod verius fuisset producendum, cum sint *nisei*, et *quasci*, vel certe cum aliis similibus vatis arbitrio permittenda. *Jous*, sive *iuus* longum: derivatum *iubeo* breve, in quam rem sic iocari per otium placuit:

Jus longum, *iubeo* breve, *iuure* utriusque parente.
Si cui *ius* longum est, dum *iubet*, esto brevis.

Resp. Exceptione regulam firmari, ut est in iure constitutum, reponeret fortasse quispiam, cui consilii nostri ratio non satis perspecta. Sed propositum nobis est, regularum fines hoc in negotio praetervehi, pro quibus satis, ut in pluribus obtineant, etsi in paucis deficiant. Atqui quod per se tale, id ubique tale perseveret, necesse est. Cum itaque syllaba brevis ea

t, quae minimo tempore, longa, quae duplo huius effer-
ır: in aperto est, cum syllaba longa, sive positu, sive du-
lici vocali, corripitur, eam alterutra sive consona, sive
ocali decurtari; contra augeri brevem, si alterutra cumuletur.
i *religio* dicam, *re* brevis: si *relligio*, idem *re* continuo
ɔngum. Similique ratioue *sibei*, et *tibei* longa: correpta *sibi*,
el *sibe*, *tibi*, vel *tibe*; quae quantitatis libertas servata in
uibusdam, usu veluti detrita in aliis, ut in τοις *nisi*, *quasi*,
cio, *modo*, *cito*, et aliis bene multis, quae passim correpta
ccurrunt. Verbo: et syllaba brevis in longam, et longa in
revem evadere potest, ut unitas in binarium assurgere, et
inarius ad unitatem redire. Si enim unitati unitatem adiicias,
a tibi binarium: si e binario unitatem detrahas, superest u-
itas.

5. Quo igitur regulae illae omnes tanto grammaticorum
udio, nec minore adolescentium emolumento passim in scho-
s vulgatae? Aut enim hae valeant, necesse est; aut vestra
ıec scita novella, si modo novella.

Rsp. Quantum per nos licet, nihil minus licere per nos,
ıam regulis eiusmodi sapientissimis nuntium mittere. Qui
norant, addiscant; qui norunt, meditatione, usuque assiduo
succum sibi, et sanguinem convertant. Si modo intelligant,
minicula illas extare memoriae mera, rei caussam vix, aut
vix quidem ut plurimum attingere, quod propositum nobis
ıecipue est, quibus scire multo magis, quam discere cor-
est.

Verum age, quandoquidem praeceptiones nudae sine ex-
plis movere parum solent, metricae facultatis totius canones
ısicis rationibus accomodatos complecti paucis placuit, non
unius memoriae subsidium, sed multo magis ad adolescen-
m rationem excitandam.

4

LEMMATA TRIA OECUMENICA.

1. Consona ni geminat : 2. coit aut vocalis in unam
Duplex ; 3. natura syllaba quaeque brevis.

Demonstr.

Tempore quippe duplo duplex vocalis in unam
Arta ; duplex duplo tempore consona eget.

EXCEPT. I.

Quod si muta praeit, liquidae comes addita, sitque
Syllaba natura brevis , hanc producit , et artat
Arbitrio vates , modo ne dissentiat usus,
Quem penes arbitrium est , *et ius* , *et norma loquendi.*

EXCEPT. II.

At si *prae* sequitur vocalis, corripe tutus.
Nemo diem dicet , contra si ducere mavis.

PARNASSVS. LAPIDARIVS

LIB. I.

SACRA

I.

SANCTO. FIDIO. SENI. PATRI.

De decuma Victor tibei Lucius Munius donum
Moribus antiqueis. Pro usura hoc dare sese,
Visum animo suo. Perfecit tua, pace rogans te,
Cogendei, ac dissolvendei tu ut facilia faxseis.
Perficias, decumam ut faciat verae rationis,
Proque hoc, atque alieis donis des signa merenti(1).

(1) Apian. *Sacros.Vetust.* pag. 142. Valde mihi suspectum το *facilia* 4. versiculi. Fortasse legendum *foenera*. Caeterum si loco illud movere religio tibi incessit, vel de syncope cogita, ut *facilia* sit *faclia*, ut a *seculo seclum*; vel quatuor breves dactylo tempore aequales adhibitas arbitrator, ut temporis potius, quam syllabarum olim habitam rationem intelligas in carminibus compingendis. Ad vocem *suo* syncopen magis cogita vocalis *u*, quam synaeresin. Est enim *suo* a *sueo.* Ad vocem *Munius*, subaudi *s* truncatum more archaico pro carminis mensura.

II.

Undis Cyaneis donum placavile fecit
Contucius blandas per aquas, aram venerandam.
Hinc oritur, pergitque fluens, deinde occidit in se
Ipsa. Mox viridis, renovantibus, incluta, lymphis
Numini fontigero grates ex undique solvens,
Sospes cum comites praestat, renovante liquore (1).

III.

Hercules invicte, cautus hoc tuo donum *libens*
Numini sancto dicavit Praetor Urbis Annius;
Cum pia solenne mente rite fecisset tuum,
Tradidisti, quod Potitis Evandreo *seculo*
Administrandum quodannis. Hic ades *votis favens* (2)

IV.

Te precor; Alcide, sacris, invicte, peractis,
Rite tuis laetus dona ferens meritis.

(1) Gruter. pag. 93. num. II. De Cyane Nympha in aquam conversa vide Ovid. Metam. Lib. V. *Placavile.* *V* pro *b*, et *b* in *u* commutati frequentissima exempla.

(2) Gruter. pag. 47. num. 3. Adverte: *Quodannis* pro *quotannis.* Frequens commutatio *t* in *d*, *b* in *u*, quod semel admonnuisse sat est tironem, ne in mendi suspicionem veniat, ubi talia occurrerint. Sacra Herculea Potitis tradita, Evandri aetate, res per se nota.

Haec tibi nostra potest tenuis perferre Camina,
Nam grates dignas tu potes efficere.
Sume libens simulacra, tuis quae munera Cilo
Aris Urbanus dedicat ipse sacris (1).

V.

Alcmenae, Jovis et Magni fortissima Proles,
Tricosus subito post mea fata vocor (2).

VI.

Alcide, sacri generis decus, hoc tibi Praetor,
Et Jovis Antistes dedico Perpetuus (3).

VII.

Plutoni sacrum munus ne attingite, fures:
Ignotum est vobis, hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico maximus Olybrius.
Adsit foecundo custos tibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

(1) Idem pag. 47. num. 10. *Camina* pro *Camoena*, lim *Casmina*,

(2) Smet. *Ord. II.* num. 3.

(3) Idem ib. p. 23. num. 4.

Abite hinc , pessimi fures.
Vos quid vostris voltis
Cum oculis emissiciis?
Abite hinc vestro cum Mercurio
Petasato , caduceatoque.
Donum hoc maximum Maximus
Olybrius Plutoni sacrum fecit (1).

VIII.

Susceptum merito votum tibi , Mercuri , solvi.
Ut facias hilares , semper tua Templa colamus (2).

IX.

Aegeria est , quae praebet aquas , Dea grata Camoenis.
Illa Numae Coniux , consiliumque fuit (3).

---

(1) Ex *Coll.Pisaur.* pag. 436. Olybrius Iunior solus Consul processit an. 491. Extat et Olybrius item Consul, idemque solus , ad an. 464. et 526. Sed et occurrit Proconsul Africae Olybrius an. 354. Ad horum quemnam marmor spectet , quis praestare ausit? Illud incertius , quod laticis genus in Orbe inclusum Plutoni Olybrius sacrum fecerit. Unguenti genus fortasse magni pretii in ampullis duabus asservatum , quarum argentea una , altera aurea , opportunis oculorum emissiciorum illiciis.

(2) Ibidem pag. eadem.

(3) Montfaucon. *Diar Intiner.* pag. 153.

X.

Littoribus nostris quoniam certamina laetum
Exhibuisse iuvat, Castor, venerandeque Pollux;
Munere pro tanto faciem certaminis huius,
Magna Jovis proles, vestra pro sede locavi
Urbanis Tatius gaudens me fascibus auctum,
Neptunoque Patri ludos fecisse latinos (1).

XI.

Silvane, sacra semicluse fraxino,
Et hujus alti summe custos hortuli,
Tibi hasce grates dedicamus maximas,
Quod nos per arva, perque montes Alpicos,
Tuique luci suave olentis hospites,
Dum ius guberno, remque fungor Caesarum,
Tuo favore prosperanti sospites.
Tu me, meosque reduces Romam sistito,
Daque, Itala rura te colamus praeside.
Ego iam dicabo mille magnas arbores..
T. POMPONI. VICTORIS. PROC. AVGVST (2).

---

(1) Gruter. pag. 99. num. 2. Tatius, Praetor Urbanus, ro Ludis Sabinis ab se celebratis in honorem Neptuni.
(2) Fabrett. pag. 230. num. 607.

XII.

HORTORVM. CVSTODI. VIGILI
CONSERVATORI. PROPAGINIS
VILLICORVM

Dum tua pomiferum custodia proteget hortum,
Terror et infestis furibus inguen erit:
Lampsacios melior non imbuet hostia cultros,
Quam veniet nostra victima caesa manu (1).

XIII.

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli,
Haec tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis.
Improbus ut (si quis nostrum violabit agellum),
Hunc tu.. Sed tento scis, puto, quod sequitu(2).

XIV.

Esse putas marmor: latet hic cum Castore Pollux.
Munus olorino de Jove Laeda dedit (3).

(1) Gruter. pag. 95. num. 4.
(2) Idem num. 3.
(3) Idem pag. 99. num. 3.

XV.

Tu, quae Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper Fortuna meorum.
Accipe, quae pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem nostri conservatura Parentis.
Cuius ne taceat memorandum littera nomen,
Caesius hic, idemque Titus, Primusque vocatur.
Qui largae Cereris messes, fructusque renatos
Digerit in pretium: cui constat fama, fidesque,
Et qui divitias vincit, pudor. Ire per illos
Consuetus portus cura, studioque laboris,
Littora qui praestant fessis notissima nautis.
Notus in Urbe Sacra, notus quoque finibus illis,
Quos Umber sulcare solet, quos Tuscus arator.
Omnibus hic annis, votorum more suorum,
Centenas adicit, numero crescente, coronas,
Fortunae simulacra colens, et Apollinis aras,
egeriumque Jovem, quorum consentit in illo
Maiestas, longae promittere tempora vitae.
Accipe, Posteritas, quod per tua secula narres.
Taurinus cari iussus pietate Parentis
Hoc posuit donum, quod nec sententia mortis,
Vincere nec poterit fatorum summa potestas,
Sed, Populi salvo semper rumore, manebit (1).

---

(1) Idem. pag. 72. num. 7.

XVI.

DIS. MAGNIS.

VLPIUS. EGNATIVS. FAVENTINVS
V. C. AVGVR. P. V. B. P. R. Q.
PATER. ET. HIEROCERYX. D. S. I. M
ARCHIBVBVLVS. DEI. LIBERI
HIEROFANTA. HECATAE. SA
CERDOS. ISIDIS. PERCEPTO
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ.
IDIBVS. AVGVSTIS D. D. N. N
VALENTE. AVG. V. ET. VALENTINIA
ANO. AVG. CONSS. FELICITER

Vota Faventinus bis deni suscipit Orbis ,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornes (1).

---

(1) Gruter. pag. 27. num. 4. Ulpius, *vir Clarissimus*, *Augur Publicus Pop. Roman. Quiritium.* Idem *Hierorceryx Dei Solis Invicti Mithrae.* Ad haec: *Archibubulus*, idest Pater sacrorum *Dei Liberi*, simul et *Hierofanta*, hoc est magister sacrorum *Hecatae*, et *Sacerdos Isidis.* Ut *Taurobolio* taurus, sic *Criobolio* hircus mactabatur, quorum sanguine totus foedissime perfundebatur, qui in subiecta fovea latitabat, quo Christianorum baptisma aemularetur. Sacrum porro hoc Ulpii ad Valentis, Valentinianique vicennalia videtur respicere, quorum Consulatus notatus in marmore respondet anno Christi 376.

XVII.

ol calet igne meo, fragrat Neptunus in undis.
'ensa dedi Alcide, Bacchum servire coegi,
Quamvis Liber erat. Feci servire Tonantem.
Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi. (1)

XVIII.

Sum Deus, alatis qui cruribus aethera carpo,
Quem peperit summo lucida Mala Iovi. (2)

XIX.

ntonsi sum cura Dei Peneia virgo,
Perpetuae pulcro frondis honore virens.
Quisquis amas Phoebum, laurum cole. Quidquid amanti
Deditur, acceptum gratus amator habet. (3)

XX.

Transivi intrepidus per mille pericula victor.
Non acies ferri, non clausis moenia portis
Conatus tenuere meos. Domat omnia virtus. (4)

---

(1) Idem. pag. 60. num. 4.
(2) Idem pag. 53. num. 8.
(3) Idem. pag. 146. num. 5.
(4) Idem pag. 43. num. 2. Herculis laudes.

XXI.

Huius Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandae sentio murmur aquae.
Parce meum, quisquis tangis mea marmora, somnum
Rumpere. Sive bibas, sive lavere, tace. (1)

XXII.

Munere te hoc dono, Latonia, sancta Virago.
Cornigerum cepei virtute, et laude potitus,
Exuvieisque ejus te ipsam, templumque decoro. (2)

XXIII.

Sunt nudae Charites niveo de marmore. At illas
Diva Columna suis aedibus intus habet.
Par tribus est facies, qualem decet esse Sororum,
Par tribus est aetas, par quoque forma tribus.
Grata Thalia tamen geminat conversa Sorori:
Implicat alterne brachia blanda Soror.
Euphrosinen dextra stupeo, Aglaiamque sinistra
Miror, et implicitis brachia nexa modis.
Juppiter est genitor: peperit de semine Caeli
Hemonia, et Veneris turba ministra fuit.

---

(1) Ex Marmor. Mus. Borbonici.
(2) Murat. Tom. 1. pag. 54. num. 4.

Inde alitur nudus placida sub Matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei. (1)

XXIV.

Flamen, item Duumvir, Quaestor, Pagique Magister,
Verus ad Augustum legato munere functus,
Pro Novem obtinuit Populis seiungere Gallis.
Urbe redux Genio Pagi hanc dedicat Aram. (2)

XXV.

Digne doctiloqueis pictureis condecoravit
Reginae Junoni, summae coniugi, templum
Marcus Ludius Elotas, Aetolia oriundus,
Quem nunc, et post semper ob artem hanc Ardea laudat. (3)

---

(1) Gruter. pag. 4. num. 3. Elegantissimum epigramma, intiquis tamen non accensendum. Trissino tribuitur. Quo e veterum expungatur catalogo, satis illa Divae Columnensis modestiae commendatio ad ver. 2.

(2) Murator. Tom. 1. Diss. 1. *Novempopuli*, Pagi nomen: nulla elisio ad voces *novem* ver. 3. et *pagi* ver. ult.

(3) Gruter. pag. 1064. num. 7. αρχαικον sine controveria epigramma, ubi ultimum *i* correptum vides ad vocem *coniugi* eodem illo iure, quo et ad voces *tibi*, *sibi*, *nomini*, uorum, et similium, olim *i* commune erat. Ad vocem *Aetoia* integrum *ia* apocope truncandum, si metrice carmen decurendum.

ILLUSTRIA PRINCIPUM, ET ALIORUM MONUMENTA.

I.

Livius ecce fui Romanus, conditor Urbis
Huius. Et hanc volui terram coluisse Quirites
Magnanimos, populisque dedi cognomina victor. (1)

II.

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI.
SEMPER·
IVSTINIANO. P. P. AVG. ANN. XXXXVIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRAEPOSITO.
SACRI. PALATII. EX. CONS·
ATQVE PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM.
IPSIS. EORUM. REGIBUS·
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PUBLICO.
SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS·
LIBERTATE. VRBIS. ROMAE. ATQVE. TOTIVS.
ITALIAE. RESTITVTA. PONTEM. E VIA
SALARIA. VSQVE·
AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO.
DISTRVCTVM·
PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM.
FVERAT. RENOVAVIT·

---

(7) Ferrett. *Mus. Lapid.* pag. 317. Livius Salinator Forolivii conditor, quae et ab ipso nomen accepit, quod rarum apud priscos Romanos.

Quam bene curbati directa est semita Pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas subiecti gurgitis undas,
Et libet iratae cernere murmur aquae.
Ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites,
Et Narsim resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum flectere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum (1).

III.

IMP. NERVAE. TRAIANO. CAES. DIVO. AVGVSTO.
GERMANICO. DACICO. SACR.

Templum in rupe Tagi Superis, et Caesare plenum,
Ars ubi materia vincitur ipsa sua.
Quis, quali dederit voto, fortasse requiret
Cura viatorum, quos nova fama iuvat.
Ingentem vasta Pontem qui rupe peregit,
Sacra litaturo fecit honore Lacer.
Qui Pontem fecit Lacer, et nova templa dicavit,
Scilicet et Superis munera sola litant.
Pontem perpetui mansurum in secula mundi
Fecit divina nobilis arte Lacer.
Idem Romuleis templum cum Caesare Divis
Constituit. Felix utraque caussa Sacri.
C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET. DEDICAVIT
AMICO. CVRIO. LACONE. ICEDITANO

(8) Gruter. pag. 161. num. 2.

(9) Ex Smetio Ord. 1. pag. 4. Tumidius fortasse, quam
nobilius.

IV.

Uranios es, Manili. Vive, inquam: nam haec manet in te,
Praeteritis horis, nuda haec effigies.
Haec est effigies Regis magni Mithradatis
Divitis, et summi, pauperis, et tenui.
Hic positum, horarum rationes reddere cogit,
Post obitum nullum tempus habere docet (1).

V.

Hic bis Praefectus patriae, Praefectus et idem
Hic Libyes, idem Libyae Proconsul, et ante
Ter vice qui sacra discinxit iurgia Iudex,
Consul et aeterno decoravit nomine Fastos.
Caetera quid memorem tanto sub Iudice gesta,
Cum Proculum videas, totus qui natus honori est?
COLLEGIVM. SVARIORVM. PATRONO
PRAESTANTISSIMO. (2).

VI.

Ille ego sum Proculus, totus qui natus honori.
Aut dic, quis sit honos, quem mihi inesse putas? (3)

---

(1) Ex Aligherii Nep. in *Antiq. Valentin.* Trissyllaba videtur vox *vranios*, quae sic fortasse tribuenda: *vranios*. Sed *tenui* pro *tenuis*, incertum, utrum quadratarii supinitate, quod idem dico de *Mithradatis*, pro Mithridatis. Duo ultimi versus horologium aperte designant ad Mithridatis sepulcrum.

(2) Gruter. pag. 361. et ibid.

(3) *Inesse* pro *abesse* occurrit, quod nusquam obvenisse mihi memini.

VII.

Paullina, nostri pectoris consortio
Fomes pudoris, castitatis vinculum,
Amorque purus, et fides caelo sata,
Arcana mentis cui reclusa credidi;
Munus Deorum, qui maritalem torum
Nectunt amicis, et pudicis nexibus,
Pietate Matris, coniugali gratia,
Nexu sororis, filiae modestia,
Et quanta amicis iungimur fiducia,
Aetatis usu, consecrandi foedere,
Iugi, fideli, simplici concordia
Iuvans maritum, diligens, ornans, colens.
Paullina veri, et castitatis conscia,
Dicata templis, atque amica Numinum,
Sibi maritum praeferens, Romam viro,
Pudens, fidelis, pura mente, et corpore,
Benigna cunctis, utilis Penatibus.
Splendor Parentum nil mihi maius dedit,
Quam quod marito digna iam tum visa sum.
Sed lumen omne, vel decus, nomen viri
Agorii, superbo qui creatus germine
Patriam, Senatum, Coniugem inluminans
Probitate mentis, moribus, studiis simul,
Virtutis apicem qui supremum nactus est.
Tu namque quidquid lingua utraque est proditum
Cura Sophorum, porta queis Caeli patet,
Vel quae periti condidere carmina,

Vel quae solutis vocibus sunt edita,
Meliora reddis, quam legendo sumpseras.
Sed ista parva. Tu pius moves te sacris
Teletis; reperta mentis arcano premis,
Divumque numen multiplex doctus colis,
Sociam benigne coniugem nectens sacris
Hominum, Deumque consciam, ac fidam tibi.
Quid nunc honores, aut potestates loquar,
Hominumque votis adpetita gaudia?
Quae tu caduca, et parva semper autumans
Divum Sacerdos infulis celsus clues?
Tu me, marite, disciplinarum bono
Puram, ac pudicam sorte mortis eximens
In templa ducis, ac famulam Divis dicas.
Te teste, cunctis imbuor mysteriis.
Tu Dindymenes, Attyos qui Antistitem
Teletis honoras taureis consors pius,
Hecates ministram trina secreta edoces,
Cererisque Graiae tu sacris dignam putas.
Te propter omnis me beatam, me piam
Celebrant, quod ipse me bonam disseminas.
Totum per orbem ignota noscor omnibus.
Nam, te marito, cur placere non queam?
Exempla de me Romuleae Matres petunt,
Sobolemque pulcram, si tuae similis, putant,
Optant, probantque nunc viri, nunc feminae.
Quae tu magister indidisti insignia.
His nunc ademptis, moesta coniux maceror.
Felix, maritum si superstitem mihi

Divi dedissent! Sed tamen felix, tua
Quae sum, fuique, postque mortem mox ero (1).

MORALIA.

I.

Poma ut in arboribus pendentia, corpora nostra,
Aut matura cadunt, aut cito acerba ruunt (2).

II.

Haec Urbem circa stulti monumenta laboris,
Quasque vides moles, Appia, marmoreas;
Pyramidasque ausas vicinum attingere Caelum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die;
Et Mausoleum, miserae solatia mortis,
Intulit externum quo Cleopatra virum;
Concutiet, sternetque dies, quoque altius extat
Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina sola carent fato, mortemque repellunt.
Carminibus vives semper, Homere, tuis. (3)

---

(1) Ibidem pag. 461. Paullina, Vettii Agorii Praetextati Uxor.

(2) Epicteti ex *Coll. Pisaur*. pag. 478.

(3) Ibidem ex Burman. pag. 484.

III.

Ingentes Dominos, et famae nomina clarae,
Illustrique graves nobilitate Domos
Devita, et longe vivus cole. Contrahe vela,
Et te littoribus cymba propinqua vehat (1).

IV.

In plano tua sit semper fortuna, paresque
Noveris: ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis iunguntur grandia rebus;
Stantia namque premunt, praecipitata ruunt (2).

V.

Vive, et amicitias omnes fuge. Verius hoc est,
Quam regum solas effuge amicitias.
Est mea mors testis. Maior me adflixit amicus,
Deseruitque minor; turba cavenda simul.
Nam quicumque pares fuerant, fugere fragorem,
Nec dum collapsam deseruere Domum.
Nunc et non Reges tantum fuge. Vivere doctus,
Uni vive tibi, nam moriere tibi (3).

---

(1) Ibidem. (2) Ibidem. (3) Ibidem.

VI.

Quod tua mille Domus solidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo ianua poste nitet;
Aurea quod summo splendent laquearia tecto,
Imam crusta tegit quod pretiosa domum;
Atria quod circa dives tegit omnia cultus;
Hoc animos tollit nempe, beate, tuos!
Aedibus in totis gemmae licet omnia claudant,
Turpe est, nil Domino turpius esse suo. (1).

VII.

nte rate e Siculo discurrent aequore pisces,
Et deerit Lybicis putris arena vadis;
nte nives calidis demittent fontibus undas,
Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas;
nte mari gemino semper pulsata Corinthos
Confundet fluctus pervia facta duos;
nte feri cervis submittent colla Leones,
Saevaque dediscet praelia torvus Aper;
edus pila geret, pharetras romana iuventus,
Fulgebit nitidis India nigra crocis;
uam mihi displiceat vitae fortuna quietae,
Aut credat dubiis se mea puppis aquis (2).

---

(1) Ibidem. (2) Ibidem.

VIII.

O littus vita mihi dulcius! o mare felix,
Cui licet ad terras ire subinde meas.
O formosa dies! hoc quondam rure solebam
Iliadas armatas sollicitare manus.
Hic fontis lacus est; illic sinus egerit algas;
Hic statio est tacitis victa Cupidinibus.
Pervixi. Neque enim fortuna malignior unquam
Eripiet nobis, quod prior hora dedit.
Illic alternis depugnat Pontus, et aer,
Hic rivo tenui pervia ridet humus.
Illic divisas complorat navita puppes,
Hic Pastor miti perluit amne pecus.
Illic immanes mors obsita solvit hiatus,
Hic gaudet curva falce recisa Ceres.
Illic inter aquas urit sitis arida fauces,
Hic dat periuro basia multa viro.
Naviget, et fluctus lasset mendicus Ulisses,
In terris vivet candida Penelope (1).

---

(1) Ibidem. Ad voc. *Iliadas* mendum manifestum. Fortasse *Icadas*, non *Iliadas* legendum, cui nulla constat sententia. Erant autem *Icades* Feriae, quas die vicesima cuiusque mensis custodiebant Epicurei in magistri honorem, ut Plinius refert XXXV. 2. Epigramma sane totos Epicuri hortos redolet; quo fortasse in casu versus sic recudendus:

Icadas armata sollicitare manu.

Την εἰκαδα vero tirones norunt graecis esse *viginti* ἀπο τυ εἰκοσι.

IX.

Optimus est, Cleobulus ait, *modus*, incola Lindi.
Ex Ephyra, Periandre, doces, *cuncta* et *meditanda*.
Tempus nosce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures esse malos, Bias autumat ille Prieneus.
Milesiusque Thales *sponsori damna* minatur.
Nosse, inquit, *tete*, Chilon Lacedaemone cretus.
Cecropiusque Solon, *ne quid nimis* induperabit (1).

X.

Crede ratem ventis: animum ne crede puellis,
  Namque est feminea tutior unda fide.
Femina nulla bona est; vel si bona contigit ulla,
  Nescio quo fato, res mala facta bona est (2).

XI.

Auro quid melius? iaspis. Quid iaspide? sensus.
  Quid sensu? ratio. Quid ratione? Deus (3).

---

(1) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 489. Quibus, si placet, adhaec nostra:
Harum quae melior si fors sententia, quaeras;
Optima, quae cunctas, dicam, componit amice:
Queisque etenim quaevis par, sed tamen omnibus impar.
(2) Ibidem pag. 478.
(3) Ibidem pag. 490.

XII.

Quisquis amore volens solido tranquillus, et alta
Pace frui, maiora fuge, et nimis alta caveto.
Quin etiam vitare parem, licet obstrepat, error
Publicus, admoneo. Fidum tibi iunge minoris
Pectus, ubi obsequium pernox, humilesque vicissim
Blanditiae, dulcisque timor, res cognita paucis.
Alta petunt omnes. Utinam mihi tale dedissem
Consilium! Sed cogit Amor, perque ardua vinctum,
Luctantemque rapit. Victor fuit ille Deorum
Molliaque Herculeis optavit pensa lacertis.
Tu, cui libertas salva est, tibi consule eorum (1).

XIII.

Iratus recolas, quod nobilis ira Leonis
In sibi prostratos se negat esse feram (2).

XIV.

Ut perferantur, si qua sunt, ad Inferos,
Date Terrae fructum, ut Terra possit reddere.
Ab alio speres, alteri quod feceris (3).

(1) Gudius pag. 291.

(2) Gruter. pag. 828. num. 10. Effigies Leonis catulum tenentis.

(3) Idem pag. 928. num. 6.

XV.

Semicapri quicunque subis sacraria Fauni,
 Haec lege romana verba notata manu.
Hersilus hic iaceo, mecum Marcella quiescit:
 Haec Soror, haec Genitrix, haec mihi Sponsa fuit.
Ficta putas, frontem trahis, ac aenigmata Sphingis
 Credis: sunt Pythio vera magis tripode.
Me Pater e nata genuit: mihi iungitur illa.
 Sic mihi Sponsa, Parens, sic fuit illa Soror.
BENE. PRECARE. QUI. LEGIS (1).

XVI.

Monumentum absolvi sumptu, et impensa mea,
Amica tellus ut det hospitium ossibus,
Quod omnes optant, sed felices impetrant.
Namque quid egregium, quidve cupiendum est magis,
Quam libertatis ubi tu lucem acceperis,
Fessae senectae spiritum ibi deponere,
Quod innocentis argumentum est maximum (2)?

XVII.

Hoc qui scire cupis, iaceant quae membra sepulcro,
 Disces, dum relegas hos modo versiculos.

---

(1) Idem pag. 789. num. 6. Spurius tamen habetur.
(2) Ex Bonada.

Sponte fui pauper, tam re, quam nomine Felix.
Quaesivi nomen: quaerat avarus opes (1).

XVIII.

Olim non fuimus. Nati sumus. Unde quieti
Nunc sumus, ut fuimus. Cura relicta, vale (2).

INSIGNIUM VIRORUM TITULI.

I.

Achillis epitaphium.

Cauta quidem genetrix, noceant ne vulnera nato,
Confirmat Stygio fonte puerperium.
Sed quia fas nulli est, humanam vincere sortem,
In membris tincti dant tibi fata locum (3).

II.

De eodem.

Pande manum, genetrix; totus tingatur Achilles.
Tu facies natum mortis habere locum (4).

---

(1) Ex eodem.

(2) Olivier. de *Tulliae Sympherusae tumulo.*

(3) Petronii Antigenidis ex *Oliver. in Marmor. Pisaur.* pag. 165.

(4) Burmanni ex *Coll. Pisaur.* T. IV. pag. 437.

III.

Pelides ego sum, Thetidis notissima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit.
Qui stravi toties armis victricibus hostes,
Inque fugam solus millia multa dedi.
Hectore sed magno, summa est mihi gloria, caeso,
Qui saepe Argolicas debilitavit opes.
Ille interfectus subiit, me vindice, poenas,
Pergama tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immensis victor super astra ferebar;
Hostilem pressi fraude peremptus humum (1).

VI.

De eodem.

Hectoris Aeacides domitor, clam, incautus, inermis,
Occubui, Paridis traiectus arundine plantas (2).

V.

De Alexandro.

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat Orbis.
Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis (3).

---

(1) Ibidem. (2) Ibidem.
(3) Ibidem pag. 443.

VI.

De caesis ad Thermopilas.

Dic, hospes, Spartae, te nos vidisse iacentes,
Dum sanctis Patriae legibus obsequimur (1).

VII.

De Scipione.

Heic est ille situs, quoi nemo ceivi', neque hos tis
Quibit pro facteis reddere operae pretium (2).

VIII.

De Eodem.

A sole exoriente supra Maeoti' paludes
Nem' est, qui facteis me aequiparare queat.
Si fas caedendo caelestia scandere quoiquam est,
Mi solei Caeli máxuma porta patet (3).

---

(1) Cicer. *Tuscul. Quaest.* Lib. I.

(2) Ennii apud Cicer. *de Leg.* Lib. II. Fortasis ad vocem *reddere* postremam *re* apocope truncandum, ut sibi pentameter constet. Sed pro pentametro rectius senarium puta.

(3) Eiusdem apud eumdem *Tusc. Qu.* L. V.

IX.

De eodem.

Luxuriantem animo Poenum, ferroque ruentem
Urbis in excidium vix puber, ad arma vocatis
Partibus, edocui certa superarier arte
Posse olim. Invictae per nos Chartaginis arces
Insolitum subiere iugum. Victoria nostra est
Anno, et Iberus atrox, coniunctique arma Syphacis.
Maxima cunctarum victoria, victa voluptas (1).

X.

De eodem.

Viribus, ingenio, forma, vel sanguine si te
Extulero in turba, Scipio, clarus eris.
At si, quod iuvenem formosam, aurumque marito
Miseris intactum, dixero: Solus eris (2).

XI.

De Ennio.

Adspicite, o Cives, senis Enni imaginis formam.
Hic vestrum panxit maxuma facta Patrum.

---

(1) Ex *Marmor. Pisaur.* Olivier. n 17.
(2) Ferrett. *Mus. Lapid.* ad pag. 460.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Volito vivos per ora virum (1).

XII.

De Miltiade.

Qui Persas bello vici Marathonis in arvis,
Civibus ingratis, et patria, interii (2).

XIII.

De Pallante.

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo, iacet hic (3).

XIV.

De Pacuvio.

Adolescens, tamen etsi properas, te hoc saxum rogat,
Utei ad se adspicias: deinde quod scriptust, legas.
Heic sunt Poetae Marcei Pacuviei sita
Ossa. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

---

(1) Vulgo Ennio ipsi tribuitur.
(2) Smetius *Ord.* III. pag. 55.
(3) Ferrett. *Mus. Lap. Mem.* XXXIV.

XV.

De Sappho.

Tantum ego carminibus superavi Sappho puellas,
Maeonides quantum vicerat ante viros (1).

XVI.

De Euripide.

Siste. Quid ipse velim, rogitas? cognosce, Viator:
Euripides, tragico carmine clarus homo,
Hic iaceo. Istud erat, quod te novisse, volebam.
Ergo diu felix, care Viator, abi (2).

XVII.

De Naevio.

Mortales immortales flere si foret fas,
Flerent Divae Camoenae Naeviom Poetam.
Itaque postquam est orcino traditus thesauro,
Oblitei sunt Romae loquier lingua latina (3).

---

(1) Palladii.
(2) Eiusdem Palladii.
(3) Gell. L. I. Cap. XXIV.

XVIII.

De Plauto.

Postquam est mortem aptus Plautus, Comoedia luget,
Scaena est deserta. Hinc ludus, risusque, iocusque,
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt (1).

XIX.

De Statio.

Statius hic situs est, iuvenem quem Cypris ademit,
Praeconem Aeneae carmine quod premeret (2).

XX.

De Puppio Tragoediographo.

Flebunt amici, et bene noti morte in mea.
Nam Populus, etiam vivo me, lacrumatus est (3).

---

(1) Ex eodem ibidem. *Aptus* pro *adeptus*.
(2) Ex Bonada.
(3) Ex Acrone *ad Horat.* L. I. Ep. I.

XXI.

De Cicerone.

Quo tua, romanae vindex clarissime linguae,
Silva loco melius surgere iussa viret:
Atque Academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore vetus;
Hic etiam adparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore lavant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit, ope:
Ut quoniam toto legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quae medeantur, aquae (1).

XXII.

De eodem.

Hic iacet Arpinas manibus tumulatus amicis,
Qui fuit Orator summus, et eximius.
Quem nece crudeli mactavit civis, et hostis.
Nil agis, Antoni: scripta diserta manent.
Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te
Tullius aeternis vulneribus lacerat (2).

---

(1) Ex Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXI. C. 4.
(2) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 450.

XXIII.

De Sulla.

Adspice Felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam,
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem.
Necnon Antoni civilia bella moventis,
Nec semel infectas adspice caede manus.
Et dic: Roma perit: regnabit sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio (1).

XXIV.

De Caesare.

Invictus victis in partibus omnia Caesar,
Vincere qui potuit, te, Cato, non potuit (2).

XXV.

De eodem.

Ille hic magnanimus, qui claris arduus actis,
Non timuit Generum, nec inertia tela Senatus.
Ne sibi Gallorum raperetur pompa triumphi,
Intulit immitis per civica viscera ferrum.

---

(1) Ex Sueton. in *Claud. Tib.*
(2) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 445.

Vis invicta viri, reparata classe, Britannos
Vicit, et hostiles Rheni compescuit undas (1).

XXVI.

De Virgilio.

Iusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere Ducem.
Tucca vetat, Variusque simul: Tu, maxime Caesar,
Non sinis, et Latiae consulis historiae.
Infelix! gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et pene est alio Troia cremata rogo (2).

XXVII.

De Asino, qui Aeneidem male habuit.

Carminis Iliaci libros consumpsit Asellus.
Hoc fatum Trojae est; aut Equus, aut Asinus (3).

---

(1) Ibid. pag. 446.
(2) Sulpit. Apollinar. ex Donat. in *Vit. Virgil.*
(3) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 452.

XXVIII.

De Ovidio.

Hic situs est Vates, quem Divi Caesaris ira
Augusti latia cedere iussit humo.
Saepe miser voluit patriis occumbere terris:
Sed frustra. Hunc illi fata dedere locum (1).

XXIX.

De Mecaenate.

Nestoris annosi vixisses secula, si me
Dispensata tibi stamina nente forent.
Nunc ego quid possum? tellus levis, ossa teneto,
Pendula librato pondus et ipsa tuum.
Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores:
Non umquam sitiens florida semper eris (2).

XXX.

De Horatio.

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra (3).

(1) Burmann. in *Coll. Pisaur.* pag. 418.
(2) Ex Albinovano in *Obit. Mecaen.*
(3) Ex Ovid. Lib. IV. *Trist. Eleg.* 10.

XXXI.

De Celso.

Dictantes Medici quandoque et Apollinis artes
Musas romano iussimus ore loqui.
Nec minus est nobis per pauca volumina famae,
Quam quos nulla satis Bibliotheca capit (1).

XXXII.

De Germanico.

Parce, hospes tumulo. Caesar Germanicus hic sum.
Saepe etiam ignotis ipse dedi requiem.
Quod si quem tumuli nihil huius gratia tangit,
Admoneat; patria fraude, quod hic iaceo.
Sed iaceo, quamvis non vitae, et plenus honoris,
Hoc uno ingratus, quod genui Patriae.
Testata est mores lacrimis plebesque, patresque.
Haec sunt sinceri iudicia ingenii. (2).

---

(1) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 459.
(2) Ex Burman. in *Coll. Pisaur.* pag. 446.

XXXIII.

De Claudio pro domita Britannia.

Ausoniis numquam tellus violata triumphis,
Icta tuo, Caesar, fulmine procubuit.
Oceanusque tuas, ultra se, respicit aras,
Qui finis mundo est, non erat imperio (1).

XXXIV.

De eodem.

Libera non hostem, non passa Britannia Regem,
Aeternum nostro quae procul Orbe iacet;
Felix adversis, et sorte oppressa secunda,
Communis nobis, et tibi, Caesar, erit (2).

XXXV.

De eodem.

Victa prius, nullo iam iam spectata triumpho,
Illibata tuos Gens iacet in titulos.
Fabula visa diu, medioque recondita Ponto
Libera, victori quam cito colla dedit!
Eufrates ortus, Rhenus recluserat Arcton:
Oceanus medium venit in Imperium (3).

---

(1) Ibidem ad pag. 447. (2) Ibidem. (3) Ibidem.

XXXVI.

De eodem.

Ultima cingebat Tibris tua, Romule, regna:
Hic tibi finis erat, relligiose Numa.
Et tua, Dive, tuum sacrata potentia Caelo
Extremum citra constitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit Orbes:
Pars est Imperii: terminus ante fuit (1).

XXXVII.

De eodem.

Illa procul nostro semota, exclusaque Caelo,
Adluitur nostra victa Btitannis aqua. (2)

XXXVIII.

De eodem.

Mars Pater, et Gentis nostrae tutela, Quirine
Et magno positus, Caesar uterque, Polo:
Cernitis ignotos Latia sub lege Britannos:
Sol citra nostrum flectitur Imperium.
Ultima cesserunt, adaperto, claustra, profundo,
Et iam Romano cingimur Oceano (3).

---

(1) Ibidem. (2) Ibidem. (3) Ibidem.

XXXIX.

De eodem.

Opponis frustra rapidum, Germania, Rhenum:
Eufrates prodest nil tibi, Parthe fugax.
Oceanus iam terga dedit, nec pervius ulli
Caesareos fasces, imperiumque tulit (1).

XXXX.

De eodem.

Semota, et vasto disiuncta Britannia Ponto,
Cinctaque inaccessis horrida littoribus;
Quam Pater invictis Nereus vallaverat undis,
Quam fallax aestu circuit Oceanus;
Brumalem sortita Polum, qua frigida semper
Praefulget stellis Arctos in occiduis.
Conspectu devicta tuo, Germanice Caesar,
Subdidit insueto colla premenda iugo.
Adspice: confundit populos impervia Tellus:
Coniunctum est, quod adhuc orbis et orbis erat (2).

(1) Ibidem. (2) Ibidem.

XXXXI.

De Tito, et Vespasiano.

I nunc, et rebus fidas, Romane, secundis,
Cuncta brevi cum sint interitura die!
Orbis delicias, et Titum, et Vespasianum,
Terrarum Dominos, haec capit urna duos (1).

XXXXII.

De Virginio Rufo.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam,
Imperium asseruit, non sibi, sed Patriae (2).

XXXXIII.

Optimus est Fuscus: bonus Afer: pessimus Albus (3)

XXXXIV.

De Seneca.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite alias posthac sollicitare animas.

---

(1) Ibidem ad pag. 447. ex Burman.
(2) Ex Plin Lib. VI. Cap. 10.
(3) Ex Spartian. in *Pescen. Nigro*

Me procul a vobis Deus avocat. Ilicet, actis
Rebus terrenis, hospita Terra, vale.
Corpus nostra tamen solennibus accipe saxis,
Namque animam Caelo reddimus, ossa tibi. (1).

JOCOSA, ET SATYRICA.

I.

Fundum Varrò vocat, quem possim mittere *funda*,
Nì tamen exciderit, qua cava funda patet.
Extractam puteo situlam cum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ille locum (2).

II.

In Caninium Consulem

Vigilantem habemus Consulem Caninium.
In Consulatu somnum non vidit suo (3).

---

(1) Ferrett. *Mus. Lapid. Mem. XIII.*
(2) Quintil. Lib. VIII. Cap. ult.
(3) Macrob. *Saturn.* Lib. II. Cap. 3.

III.

In Bibulum Consulem.

Consule non Bibulo quidquam, sed Caesare, factum est:
Nam Bibulo fieri Consule nil memini (1).

IV.

In Ventidium Consulem.

Concurrite omnes, Augures, Aruspices.
Portentum inusitatum confectum est recens:
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est (2).

V.

In Caesarem.

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.
Ecce nunc Caesar triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem (3)

---

(1) Sueton. in *Iulio.*
(2) Gellius Lib. XV. Cap. 4.
(3) Sueton in *Julio.*

VI.

In Augustum.

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam (1).

VII.

In Neronem.

Roma Domus fiet; Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupat ista Domus (2).

VIII.

In Claudium.

Ternos vetusti congios Falerni
Uno die, conviviis peractis,
Tubos per amplos viscerum refundens
Hausit, potentum Romuli nepotum
Frenator audax, arbiterque regum.
Jovis tonantis armiger, minando,
Bacci pluentis cantharus, madendo,
Late patentis Imperator Orbis,

---

(1) Idem in *Octavio.*
(2) Idem in *Nerone.*

Late aestuantis inrigator alvi.
Exinde Plebs Quiritium vocavit,
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem (1).

IX.

In *Othonem.*

Cur Otho mentito sit, quaeritis, exsul honore?
Uxoris moechus coeperat esse suae (2).

X.

In Commodum Imperatorem.

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat esse bonum,
Expers humani iuris, et imperii.
Sperans quin etiam clarius, esse Deum,
Quam si sit Princeps nominis egregii,
Non erit iste Deus, nec tamen ullus homo (3).

---

(1) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 446.
(2) Sueton. in *Othon.*
(3) Ex Spartian. in *Antonin. Diadumen.*

XI.

In Caesarem.

Aurea mutasti Saturni secula, Caesar:
Incolumi nam te, ferrea semper erunt (1).

XII.

In hominem exosum.

Asper, et immitis. Breviter, vis, omnia dicam?
Dispeream, si te Mater amare potest (2).

XIII.

Ursus Togatus, vitrea qui primus pila
Lusi decenter cum meis lusoribus,
Laudante Populo maximis clamoribus,
Thermis Trajani, Thermis Agrippae, et Titi,
Multum et Neronis, si tamen mihi creditis,
Ego sum. Ovantes convenite, pilicrepi,
Statuamque Amici floribus, violis, rosis,
Foleoque multo, adque unguento marcido
Onerate amantes, et merum profundite,
Nigrum Falernum, aut Setinum, aut Caecubum

---

(1) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 447.
(2) Ibidem pag. eadem.

Vivo, ac volenti de apotheca Dominica,
Ursumque canite voce concordi, senem
Hilarem, iocosum, pilicrepum, scholasticum,
Qui vicit omnes anteriores suos
Sensi decore, adque arte suptilissima.
Nunc vera versu verba dicamus senes:
Sum victus ipse, fateor, a ter Consule
Vero, Patrono: nec semel, sed saepius,
Cuius libenter dicor Exodiarius (1).

---

(1) Gruterus pag. 637. num. I. Epigramma festivissimum ad Imperatorem Commodum Verum respicere videtur, cui *arte suptilissima* velificatur Ursus Togatus. Pro *folioque* restituimus *foleoque*. Est autem unguenti genus ex oleo, fortassis ita dictum quasi *a foveo oleo*. Ita vero legendum esse, monet marmor Puteolis nuper repertum, in quo *foleum* non *folium*, occurrit, in eam plane significationem, quam diximus. *Exodiarius* idem, qui *mimus*. *Adque* pro *atque* frequenter occurrit.

XIV.

D. M.

FLAVIAE RUFILLAE

Quid gnatum caedit Venus? arcum perdidit. Arcum
Quis rapuit? Tusco Flavia nata solo.
Qui factum? Petit haec, dedit hic: nam lumine formae
Deceptus, Matri se dare crediderat (1).

XV.

Lusciniae funus.

Selectae, versicolori, pulcerrimae cantrici,
Suavissimae, omnibus gratiis ad digitum pipilanti,

---

(1) Gruter. pag. 912. num. 1. Placuit per otium negotiosum sic italice reddere:

Perchè così — La bella Venere
Il Figlio strazia? — Perchè così.
L' Arco perdè — L' arco invincibile.
E come il misero — L' arco perdè?
Glie lo rapì — La Tosca Flavia,
L' amabil Flavia — Glie lo rapì.
Come ciò fu? — Colei richieselo,
Costui rendettelo — Ecco che fu.
Darlo pensò — Il Figlio a Venere.
Quel volto lucido — Sì l' abbagliò!

In poculo murrhino caput abluenti
Infeliciter submersae. Heu, misella
Avicula! Hinc inde volitabas tota
Garrula, tota festiva: latitas modo
Inter pulla Leptynis loculamenta
Implumis, frigidula, clausis ocellis,
Liciniae, filumena, deliciae suae,
Quam in sinu pastillis alebat
In proprio cubiculo alumnae carissimae (1).

XVI.

In idem argumentum.

Hic sita sum, varios avium perfringere cantus
Docta avis, e Siculo praeda petita sinu.
Nuper herum studiis fessum, curisque levabam:
Nunc Manes blandis mulceo rapta sonis (2).

XVII.

Ad Fontem.

Quod blando facilem producit murmure somnum,
Quae cadit, et tremulos efficit unda lacus;

---

(1) Ex Bonada.
(2) Fabrett. pag. 331. num. 493.

Quod sumis puros haustus, nitideque lavaris,
Instauratori gratia habenda Lupo.
Aes, animumque suum spectans dic, Romule, verum:
An minus hic Pater est, quam Lupa Mater erat?

ANONIMA.

I.

Hae sunt, Parve, tuae, meaeque sedes;
Haec certa est domus, haec colenda sedes,
Haec est, quam mihi suscitavi vivus (1).

II.

Rapta sinu Matris iacet hic miserabilis infas,
Ante novem plenos quam Lunae viveret orbes.
Hanc Pater, et Mater maesti flevere iacentem,
Parvaque marmoreo clauserunt membra sepulcro (2).

III.

Iam lacrimis parce, et crudelia dicere fata
Desine, nec duro iam doleas obitu.

---

(1) Burman. Anthol. Lat. Tom. IV. pag. 469. Ep. XXIV. Vide *i* in fine τε *suscitavi* correptum. Pleraque horum, quae τα ανονιμα dicimus, quod *familiaria* essent, satis per se innotescebant, quae nunc nos latent.

(2) Gruter. pag. 717. num. 13.

Nec tibi, nec nobis aeternum vivere cessit.
Quod pueri occidimus, fata querenda putas.
Dum sis in vita, dolor est amittere vitam;
Dum simul occidimus, omnia despicias.
Orbem sub leges si habeas, num vivis ad Orchum?
Quid valet? hic nulla est divitis ambitio (1).

IV.

Verius hunc tumulum Matri tu, nata, dedisses,
Quam Mater miserae nunc tibi, nata, facit.
Bis senos completam annos te, Filia, matri
Eripuit miserae mortis iniqua dies.
Obtestor, manes meritae, sanctaeque Patronae
Comprecor, ut leni terra tegat tumulo (2).

V.

Ingratae Veneri spondebam munera supplex,
Erepta, Coniux, virginitate tibi.
Persephone votis invidit pallida nostris,
Et praematuro funere te rapuit.

---

(1) Gruter. pag. 718. num. 3. Quae currentibus literis notata vides, nostro periculo restituta scito, quae post a Burmanno sic suppleta deprehendimus:
Nil prosunt gemitus; lacrimis corrumpere ocellos
Desine.

(2) Gruter. pag. 718. num. I Mater, quod Liberta esset, filiam *patronam* dicit.

Supremum, versus, munus donamus, et aram,
Et gratam scalpsit docta Pedana chelyn.
Me nunc torquet amor: tibi tristis cura recessit,
Letheoque iaces condita sarchophago (1).

VI.

His Pater, et Mater moestum solantur amorem,
Solventes nato triste ministerium (2).

VII.

Sic pia, sic felix, sic quod tibi vita beata
Contigit, et cunctis auxilians bonitas.
Nos tamen hic cruciat dolor intimus, et pia cura,
Quod te festinans apstulit atra dies.
Numina nunc inferna, precor, Patri date lucos,
Quies est purpureus, perpetuusque dies.
Hic certe, ut meruit, cunctast data cura sepulcri,
Texeruntque favi de Siculis apibus (3).

---

(1) Idem pag. 843. num. 2. Optimis sine dubio accensendum epigramma.

(2) Mutilum epigramma apud Gruter. pag. 717. num. 8.

(3) Idem pag. 748. num. 7. *Cunctast.* Ubi elisio in verbo *est*, et voce praecedenti accidit, nusquam a posteriori *e* vocalem priorem, sed hanc ab illa absorptam incurrimus; nec sine caussa. Dic enim *cunctest*, dubium facies, an *cuncta*, *cunctae*, *cuncti*, *cuncto*, *cunctum*, *cunctam* intelli-

VIII.

Morborum vitia, et vitae mala maxima fugi.
Nunc careo poenis, pace fruor placida (1).

IX.

Verna puer, Puer o mi verna, quis ah! quis ab aura
Te in tenebras rapuit perditus, ut morerer?
Ni tecum assidue loquerer, ni saepe iocando
Fallerer, hinc dum te continuo aspicio;
Semper ero tecum: et si me sopor occupet umbram,
Te umbra petam. Ergo unquam ne metue, abs te abeam (2).

X.

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mu tus in aeternum sum cinis, ossa, nihil.

---

gamus. Cur non hoc et in caeteris servandum, ubi ambiguitatis eadem occurrunt incommoda vitanda? Qui haec adolescentes monere contemnunt, uti fere fit, non bene de re poetica latina meriti censendi.

(1) Petr. Apian. *Inscript. Sacros. Vetust.* pag. 79.

(2) Fabrett. pag. 195. num. 441. Qui Catullum de facie norit, ab ipsissimo Catullo iurabit epigramma hercle! iucundissimum elaboratum.

Non sum, nec fueram: genitus tamen ex nihilo sum.
Mitte, nec exprobres singula: talis eris (1).

XI.

Funere non aequo puer immaturus obivi,
Marmoreisque meis hic iaceo tumulis.
Non potui parvus puerilem implere iuventam,
Nec vestire meam flore novo faciem.
Nec senior capiti niveos mutare capillos.
At fato victus sorte puerperii,
Heu! crudele nefas, quae me generaverat, hora,
Haec eadem vitae terminus hora fuit.
Non ego, quod perii, doleo: sed parvulus infans,
Quod cum plus saperem, spem merui dubiam.
Si vita incolumis potuisset vincere fata,
Crevisset generis gloria magna mei.
Fortuna invisa est, spes est frustrata iacentem,
Mors cuncta eripuit, dira quies hominus (2).

XII.

Una dies adimit crudeli clade peremptas,
Quîs ara haec positast, poena hominis miseri.

---

(1) Idem pag. 21. num. 85.
(2) Idem pag. 238. num. 636. *Invisa est pro invidit.*

Filia namque perit, periit et mater. Eumdem
Deserit illa Patrem, deserit illa Virum (1)

XIII.

Forma, atque illecebris Veneri vixi aemula. Livor
Saxo delicias invidus occuluit.
Artificis pietate, iterum rediviva placebam,
Ni me vidisset Cypria marmoream.
Si fructus proprio surgit de germine; tellus
Si reparat sparsis debita seminibus:
Nascentur tumulo, formae nova messis, honores,
Et lepor, et suavis gramina nequitiae (2).

XIV.

Ereptamque viro, et matri mater me Terra recepit,
Cum ad mortem, matris de gremio rapior.
Omnibu' cara fui, vivae carissima matri,
Adversis quae me sustulit ominibus.
Desine iam frustra, Mater mea; desine fletu
Te miseram totos sollicitare dies (3).

---

(1) Ex Musei Borbonici marmoribus.
(2) Ex Bonada.
(3) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 476.

XV.

O tu, qui multas, hospes, lustraveris Urbes,
Dic, quo vidisti stemmata plura loco (1)?

XVI.

Infelix, annosa, viro, nataeque superstes (2).

XVII.

Nunc Pater, et Mater nato fecere sepulcrum,
Ossaque funestis fluctibus adlucerunt.
Sed quoniam multi talem sensere dolorem,
Nec quisquam leti vincere vim potuit;
Desinite extinctum, dulces, me flere, Parentes,
Desinite et fati tristia iura querî (3)

XVIII.

Functus honorato senio, plenusque dierum
Evocor ad Superos. Pignora, quid gemitis (4)?

---

(1) Fabrett. pag. 12. num. 93.

(2) Fabrett. pag. 21. num. 89. Ponderosum epigramma quo concinne describitur tristissima matris, uxorisque fortuna viro, nataeque superstitis.

(3) Gruter pag. 1126.

(4) Gruter. pag. 748. num.8.

XIX.

Servavi thalamum genio, dulcissime Coniux:
    Servandus nunc est pro thalamo tumulus.
Ornasti et Manes lacrimis, miserabilis Uxor:
    Haud optare alias fas erat inferias (1).

---

(5) Bonada Vol. II. pag. 126. Primi duo versus ad uxorem, postremi ad virum iam vita functum pertinent.

PARNASSVS LAPIDARIVS

LIB. II. (a).

I.

CN. TARACIVS. CN. F
VI. A. XX. OSSA. EIVS. HIC. SITA SVNT

Eheu, heu! Taracsi, ut acerbo es deditus fato!
Non aevo exsacto vitai, es traditus morti.
Sed cum te decuit florere aetate, iuventa
Interiisti, et liquisti in moeroribus matrem (1).

(a) *Hactenus rerum ipsarum ordinem, ut licuit, secuti sumus. Quae sequuntur, quod nil tale in ipsis commode moliri datur, pro mole magis, quam pro argumentis, varios in libros digesta videlis.*

(1) *Illustraz. di un antico Vaso di Locri* pag. 19. V. CL. nostrumque amantissimi collegae, Equitis *Arditii*. Plane archaicum epigramma, veterisque simplicitatis instar.

II.

Ut te, Palladi, raptum flevere Camoenae,
Fleverunt Populi, quos continet Ostia Dia!
IVLIVS. NICEPHORVS. PATER. INFELIX. FECIT

III.

L. ACILIVS. L. F. FONTANVS
Eripuit nobis undevigesimus annus
Ingressum iuvenem militiam cupide.
Parcae falluntur, Fontanum quae rapuerunt,
Cum sit perpetua fama futura tui (1).

IV.

Diva, precor, Tellus, alvo complectere sancto
Ossua, quorum in hoc nomina sunt lapide.
FL. OPHELLIONIS. FL. BEBRYCIS (2).

V.

P. ATINIVS. L. F. FAB
HIC. SITVS. EST

---

(1) Murator. Vol. II. pag. 773.

(2) Idem pag. 1676. num. 9. *Quorum in.* Dactylus, omissa elisione.

Si lutus, si pulvis tardat te forte, Viator,
Arida si vestis nunc tibi iter minuit;
Perlege: cum in patria tulerit te dextera fati,
Ut requietus queas dicere saepe tuis:
FINIBVS. ITALIAE. MONVMENTVM. VIDI
IN. QVO. EST. ATINI. CONDITVM (1).

VI.

L. COMINIO. L. F. L. N. PAL
FIRMO. PR. Q. AER. ET. ELIAE
OPPIAE. SEX. C. L. EVNON

Exemplum periit castae, lugete, Puellae.
Oppia iam non est. Erepta est Oppia Firmo.
Accipite hanc animam, numeroque augete Sororum,
Arria Romano, et tu Graio Laodamia.
Hunc titulum meritis servat tibi fama superstes (2).

VII.

NINNIA. CREONIS
VIX. AN. III.. M. X. DIES. XXV

Quod decuit natam patri praestare sepulto,
Hoc contra Natae praestitit ipse Pater (3).

---

(1) Ferrett. *Mus. lapid.* Mem. XXXV. *Lutus, et lutum.*

(2) Idem Lib. I. Mem. XXI. Laodamiam hic intellige Protesilai, cui Arria aequiparatur.

(3) Idem Lib. III. Mem. VII.

VIII.

Hic sum Pesteius, vitae modo fine peracto,
Conditus, Histriacae nobilis artis honos.
Ter senos annos Asclepiodorus ad aequam
Matrem abeo Terram, qua prius ortus eram (1).

IX.

Parva quidem monumenta tibi, pro munere vitae,
Fecimus, et tumulo teximus ossa levi.
Sed quoniam tacitis adsunt sua praemia votis,
Testatur titulus pignus amicitiae.
Si datur extinctis mentem retinere priorem,
Respice, Birroni, munus amicitiae (2).

X.

Condita Nebris, habes titulum, quem sola mereris,
Octavi memoris coniux quae vera fuisti.
Elysios, precor, ut possis invadere campos,
Matronamque colas Ditis, placidamque preceris,
Det sedes ut amica pias, meritosque recessus,
Ac sinat Umbrarum Deus, ut loca sancta frequentes (3).

---

(1) Ex eodem. Nota *histriacum* pro *histrionium*.
(2) Ex eodem.
(1) Ex *Coll. Pisaur.* pag. 477.

XI.

MEMMIA. M. L. ANNA

Ac veluti formosa rosa, cum tempore prodit,
Arescit certo tempore deinde suo:
Sic tu caepisti primo formosa, Anna, videri
Tempore, sed subito desinis esse mea.
Hoc Stabilis tuus heu! quo possum, munere parvo
Prosequor, atque opto, sit tibi Terra levis (1).

XII.

QVI. VIX. ANN.
XX XX.

Hic situs ille ego Merulator Publius, ipse
Quod vocitatus eram Baebius cognomine Patris.
Roma mihi patria. Nomen meu' primus in aevom,
Hos versus Fraterque, Soror, tumuloque dicarunt,
Qui pietate sua merito laudem posuere.

P. BAEBIVS. P. F. PAL. MYRTILVS
ET POMPONIA. SPICA. VNICO
FRATRI. DIGNISSIMO. ET. PIO
FECERVMT (2).

---

(1) Ex Bonada. Redundat syllaba ad vers. 3., nisi forte subaudienda syncope ad vocem *formosa*. Hoc nisi placet, aut stare iubeto, ut vides, aut sic refingas:

Coepisti primo sic formosa, Anna, videri.

(2) Ex *Thesaur Muratoriano* pag. 1442. *Baebius* per

XIII.

C. CANINIVS. C. F
ARN. LABEO. PATER

Omnes hei mei sunt. Filius illum manu,
Ille illam merito misit, et vestem dedit.
Quoad vixsi, vixsere omnes una inter meos:
Eumdem mi amorem praestat puerilem senexs.
Monumentum indiciost saxo saeptum, ac marmore
Circum stipatum moerum multis milibus (1).

---

synaeresin in duas syllabas contractus, quae sic seiungendae: *Baeb-ius*, i nimirum in consonam transeunte, ut ex *aries* fit *ar-ies*. *Nomen meu'* pro *nomen meum*, quod factum archaico more, ut *u* breve constaret, ex quo intelligitur, *um* in fine nominum breve extitisse. Idemque servatum in *em* ad verborum finem, ut *conciliarem opes*, quod legitur in fine pentametri veteris marmoris. *Aevom* αρχαικως pro *aevum*, ut *Luciom* pro *Lucium* ad instar tertiae graecorum declinationis. Sensus est, *Baebii* nomen, *versus*, idest sepulcri titulum, et *tumulum* primum dicata a Fratre, et Sorore, qui *merito laudem*, *pro pietate sua*, *posuere*. P. Baebius Myrtilus, Publii Filius, Tribu Palatina, vixit annos XXXX; quod semel innuisse sat est ad tironum in similibus ciendam salivam.

(1) Ex Grutero ad pag. 864. n. 4. *Hei* pro *hi*, *moerum* pro *murum*, et *milibus* pro *millibus*, cum veteribus mos non fuerit, consonam eamdem geminare, nisi cum sonus pressior esset, ut grammatici veteres loquuntur. Numerum hunc ad HS refero, quae impensa pro monumenti structura, sane ambitiosa, cujus muri marmore sectili erant stipati. *Indiciost* pro *indicio est*. Sensus epigrammatis est, beatum amore suorum

XIV.

AVRELIVS. L. F
HERMIANVS. DE. COLLE. VIMINALI

A parte cippi dextra.

Haec , quae me faato praecessit corpore casto
Coniunx , una meo praedita amans animo ;
Feido feida viro veixsit studio parili , quum
Nulla inavarities cessit ab officio.

A laeva.

AVRELIA. L. L
AVRELIA. L. L. PHILEMATIO

Viva Philematium sum Aurelia nominitata ,
Casta , pudens , volgi nescia , feida viro.
Vir Conlibertus fuit eidem , quo careo eheu !
Ree fuit ee vero plus , superaque Parens.
Septem me naatam annorum gremio ipse recepit :
Triginta annos naata necis potior.
Ille meo officio assiduo florebat ad omnis (1).

. . . . .

---

diem clausisse extremum Caninium , cuius Filius servum bene merentem manu misit , hoc est , libertate donavit , isteque item ancillae non unam libertatem , sed et *vestem dedit.* De veste manumissis data consule Gruterum ad pag. 871. n. 2.

(1) Ex Grutero pag. 1046. n. 6. Refertissimum ταις αρχαικαις gazis epigramma , quas adolescentes conferant , licet , cum iis , quae de της latinae πρασοδιας fundamentis disputata sunt. Incommodat illud *nulla inavarities cessit ab officio.* Sensus videtur , Aureliam nunquam ab officio ob avaritiem de-

XV.

P. LARTIUS. P. L
SAVFEIA. A. L
L. LARTIVS. P. F
P. LARTIVS. P. F
P. LARTIA. A. Ɔ. L
NEICIA
THALEA
RVFVS
P. LARCIVS. P. F. BROCCHVS
LARCIA. P. L. HORAEA

Boneis probata, inveisa sum a nulla proba.
Fui parens domineis senibus: huic autem obsequens.
Ita libertate illei me, heic decorat stola
A pupula. Annos veiginti optinui domum
Omnem. Supremus fecit iudicium dies.
Mors animam eripuit, non veitae ornatum apstulit.
L. EPRIVS. CHILO. VIAT. TRIB. PL. PR. AC. TI (1).

---

fecisse. To *inavarities* fortasse in duo tribuendum, ut sit *in*, et *avarities* in gignendi casu, quem suffulcit praepositio, Graecorum imitatione. *Eidem* pro *idem*, *ree*, *ee*, *naata*, pro *re e*, *nata*: *feida* pro *fida*. Pro carminis universi sententia haec habe: Aurelius Hermianus, Aurelia Philematium; Liberti ambo L. Aurelii. Aurelia septennis Hermiano nupsit, qui parentem se magis, quam virum, eidem praestitit. Aurelia *triginta annos nata necis potitur*, idest fato concessit.

(1) Apud Gruter. p. 627. n. 9. Eprius Chilo, *Viator Tribuni Plebis*, Larcia dominis senibus parendo, libertatem,

XVI.

Hic sita, quae vixit duo de triginta per annos
Unanimi Calpurniano sociata marito:
Nomine Matura, Tuder est mihi nota propago,
Aufidius genitor, genuit me Plania Mater.
Quadraginta duos mecum fero flebilis annos
Rapta meis fatis, Superi sic namque ferebant,
Ima penetrali Lucinae sacra petenti. (1)

XVII.

Detrahe serta comis, et amorum oblita tuorum
Tristis, inops, pulla veste, Thalia, veni.
Non manus Idalia lasciviat improba virga,
Nec fluat ante tuos lucida palla pedes.

---

obsequio in Brocchum, adhuc pupula stolam assecuta est, idest matronaliter ei nupsit. Observitent tirones, *invisum* quondam dictum *inveisum*, veramque caussam teneant, cur prima producta in praeterito *vidi*: erat quippe *veidi*, ut *viginti*, et *vita* fuere olim *veiginti*, et *veita*.

(1) Gruterus pag. 766. n. 7. Vide ultimam in *triginta*, et *quadraginta* correptam, cuius rei passim obviant exempla in selectis veterum marmorum carminibus, et alibi. Cur ergo tutius producendam praeceperint nonnulli, non video. Non equidem ampliandi sine caussa metricae libertatis fines, sed multo minus coercendi, exemplis reclamantibus. Nota diaeresin ad vocem *Calpurniano*, quae sic tribuenda: *Cal purn-iano.*

Iulius haec feci, Mellitus qui vocor, olim
Cupito Patri, matri et iusta meae.
Deposui coiugemque meam mihi iuncta Rogatam,
Ut sit in aeternum condita fama loci.
Viximus ad ratum; pietatem implevimus ambo;
Praestitimus sobolem femineam duplicem.
Vos quoque, qui legitis versus, et facta probatis,
Discite sic vestros merito sancire parentes.
Hos ut ego pius excolerem, tituloque relinquam,
Vivos ego ut facerem, fata dedere mihi.
Iulius hoc peto nunc a te, Dominator Averni,
Cum moriar, iaceant ossa quieta mihi (1).

---

(1) Ex *Museo Veron.* ad pag. 467. Attuli in exemplum pristinae amplioris libertatis in carminibus compingendis, quam posterior aetas mirum in modum coercuit, et tantum non delevit. Iulio *Melliti*, Patri *Cupiti* cognomen fuit, uxori *Rogatae*. Vide diaeresin ad vocem *iusta*. Sexti namque versus sic ineunda ratio: *Matr-et-i-usta meae*: septimi autem sic: *Deposu-i coiu-gemque-me-am*; eliso nempe *n*, correptoque *o* propter *i* insequentem. *Iuncta* pro *iunctam* more archaico, ne litera *m* syllabae quantitati praeiudicio esset, ex quo discitur, *am* in fine brevem. Sed pristinae poeticae libertatis luculentiora adhuc suppetunt exempla.

XVIII.

Hallius Gaiius has sedes Hauranus tuetur,
Ex Epicureio gaudivigente choro (1).

XIX.

LESBIAE. OSSA. HIC. SITA. SVNT
Hospes, sta, et lacruma, si quicquam humanitus in te'st,
Ossua dum cernis consita maesta mihi.
Quoius laudati mores, et forma probatast
Anchialo, quem cura anxia debilitat.
Lesbia sum, quae dulceis mores sola reliqui,
Quod vitam vivens parui in officieis.
Sei nomen quaeris, sum Lesbia: si duo amantes,
Anchialus dulcis cum suave homine, Spurio.
Sed quid ego haec cerno? sunt hic ossua in olla
Consita. Vive, hospes, dum licet, atque vale (2).

---

(1) Apud Fabret. pag. 130. e marmore quodam Neapolit. exscriptum. Caeterum primus versus ita, et quidem rectius, legitur in Museo Iosephi Vallettae:

Alfius has sedes Aulus Soranus tuetur.

Gaudivigente vox compacta *απο τυ gaudium*, et *vigeo*. Nulla adhuc eius mentio in Lexicis.

(2) Ex Grutero pag. 799. n. 8. Formula *ossa hic sitae sunt* indicium veri sepulcri, quod religiosum, perpetuumque illatione cadaveris fiebat. *Ossua* αρχαϊκως pro ossa. Ad 8. *cum sυ' homi.* *E* in *homine* productum ob duplicem consonam se-

XX.

Hospes, quod deico, paullum est. Asta, ac pellige.
Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae.
Nomen Parentes nominarunt Claudiam.
Suom mareitum corde dilexit sovo:
Gnatos duos creavit: horunc alterum
In terra linquit, alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem incessu commodo:
Domum servavit, lanam fecit. Dixi. Abei (1).

XXI.

EVCHARIS. LICINIAE. L
DOCTA. ERODITA. OMNES. ARTES. VIRGO.
VIXIT. ANN. XXIIII.

Heus, oculo errante quei aspicis leti domus,
Morare gressum, et titulum nostrum perlege,
Amor parentis quem dedit natae suae,
Ubei se reliquiae conlocarent corporis.
Heic, viridis aetas cum floreret artibus,
Crescente et aevo gloriam conscenderet,

---

quentem, quod Graecis familiare. *Olla*, et *cinerarium*, in quibus ossa, vel cineres condebantur, unde *Ollarium*, ollarum locus.

(1) Ex Grutero pag. 761. n. 9. Quidam refingunt *hau* in *heu*. Melius *haud*, quo mirifice ex oppositis nitet sententia *sepulcri haud pulcri feminae pulcrai*.

Properavit hora tristis, fatalis mea,
Et denegavit ultra veitae spiritum.
Docta, erodita, paene musarum manu,
Quae modo nobilium ludos decoravi choro,
Et graeca in scaena prima populo apparui.
En hoc in tumulo cinerem nostri corporis.
Infistae Parcae deposierunt. Carmina,
Studium, Patronae cura, amor, laudes, decus
Silent ambusto corpore, et leto tacent.
Reliqui fletum nata genitori meo,
Et antecessi genita post leti diem.
Bis hic septeni mecum natales dies
Tenebris tenentur Ditis, aeterna Domu.
Rogo, ut discendens terram mihi dicas levem (1).

XXII.

Hoc iacet in tumulo secura Glyconis honesto.
Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior ipsa,
Quae nunquam tetricos egit sibi lucis honores,

---

(1) Gruterus pag. 655. n. 1. Senarii saporis exquisitissimi, nihil iis concedentes, quos proxime retulimus. *Infistae* pro *infestae*, ut *Camina* pro *Camoena*. Ad versum eumdem *carmine* in *carmina* recudimus, quo haec in caeterorum agmen suapte sponte transeant, quibus Eucharis annos quatuordecim nata vale dicit. *Discendens* pro *discedens*, ni quadratario dica impingenda, docet, a *dis*, et *scando* verbum istud fluere.

Set magi lascivos; suabis, Bacchoque madere,
Simplicitate sequi cantus, mollesque choreas.
Lusibus ipsa suis generabat saepe et amores,
Dulce sibi, natisque suis, quos pube reliquit,
Castorea fratres sub imagine quos generavit.
Digna quidem frui perpetua de luce benigna.
Set celerat, quo nos fata benigna vocant.
P. MATTIVS. CHARITON. CONIVGI. B. M. F (1)

XXIII.

D. M.

Immatura quies quos abstulit, hic siti sunt tres:
Mater cum parvis pignoribus geminis.
Pollia Saturnina Parens triginta per annos
Vixit, et enituit docta sonare mele:
Octo puer Titius, proles cito rapta parenti;
Et fratri tenero Karior una Soror.
Aelia Saturnina obiit uno insuper anno,
Nec saltus vitam protulit, aut choreae (2).

---

(1) Gruterus pag. 654. n. 6. Glyconis, quoad vixit, genio indulsit. Puberes filios reliquit formae praestantia Castorem referentes. *Suabis* pro *suaviis*, ἀρχαικῶς *b* pro *v*, ut *Bibus* pro *vivus*; itemque *set* pro *sed*, ut veteres dicere amabant. Notetur et syncope *u* ad vocem *frui*.

(2) Gruterus ad pag. 654. n. 5. *Siti*, olim *sitei*, ultima correpta eadem de caussa, qua et in *sibi* a *sibei*. Sed

XXIV.

C. PVBLICI. C. F. AMPLIATI. QVI. VIX. AN.
VI. D. XXVII ·
C. PUBLICIUS. PROCVLEIANVS. ALVMNO. SVO.
POSVIT ·
CVRANTIB. PVBLICIO. DIONYSIO. ET. AVRELIA.
TYCHE. PARENTIBVS ·

Tempera iam, Genitor, lacrymis, tuque, o optima
Mater,
Desine iam flere: poenam non sentio mortis.
Poena fuit vita: requies mihi morte parata est (1).

XXV.

VIBIA. PHRYNE. VIXIT. TER. SENOS. ANNOS
Cara meis vixi: subita, fatale rapina
Florentem vita sustulit atra dies.
Hoc tumulo nunc sum: cineres simul namque sacrati
Per matrem caram sunt positique mei.
Quos pius saepe colit fraterque, coiuxque, puellae,
Atque obitum nostrum fletibus usque fluunt.

---

procedente tempore, libertas haec paullatim intra paucas voces coercita.

(1) Gruterus pag. 1036. n. 6. Ultima in *tempera* correpta, quo iure et in *puta*, nisi forte arrideat magis diaeresis ad vocem *iam* proxime sequentem, ut legere sit: *tempor' iam*. Primum tamen tutius arbitror.

Dî manes, me unam retinete, ut vivere possint,
Quos semper colui viva libente animo.
Ut sint, qui cineres nostros bene floribu' sertis
Saepe ornent. Dicat: sit mihi terra levis (1).

XXVI.

Caius Rutilius Rufinus nominor ille,
Annos qui vitae linquo novem, atque decem.
Heu scelus, heu crudele nefas, facinusque tremendum,
Dum cum Fratre vides quam miser est Genitor!
Qui me conspexit moribundum, qui mea clausit
Lumina diversis aetatis vicibus.
Quos non ille prius, qua non ego voce rogavi
Infelix Superos, nec valuere preces!
Sed vis maior agit mortis: iam iamque, Parens, aut
Mecum semper eris, aut dolor una obiet.
HOC. SEPVLCHRVM. T. FL. EVTYCHIANVS
M. C. RVFINI. ALVMNI. SVI. F. L (2).

---

(1) Ex *Mus. Veron.* p. 269. *L*, *u*, *s* detrita subaudi ad voces *simul*, et *pius*, quod factum vides ad vocem *floribu*. *Atque* pro *adque*, *d* in *t* immutato, et sensus est: pro Vibiae obitu fratrem, et coniugem lacrimas indesinenter fundere.

(2) Gruterus ad pag. 1119. n. 4. Ad vers. 8. ubi legitur: *diversis aetatis vicibus*, facile quis spondaeum pro dactylo irrepsisse, putarit. Mihi probabilius fit, *aetatis* stare, et pronuntiari consuevisse *aetaatis*. Quod si collineet, iam

XXVII.

D. M

XANTIPPES. SIVE. IAIAE
C. CASSIVS. LVCILIANVS
ALVMNAE. DVLCISSIMAE

Seu mortis miseret, seu te vitae, perlige:
Nomen Xantippe: Iaia eadem, ludicro
Quod exprimens dolore, fugit anima corpore;
Hic conquiescit cunis terrae mollibus:
Quam trino annorum filo proterentia
Novem post mensium fata conficiunt mala.
Lues ignita torret noctes, et dies.
Venusta, amoena, ineptiens, et garrula:
Quam, siqua pietas insitast caelestibus,
Viventi ingenio Soli, et luci reddite
Altoris memorem, quem Parentes dixerant,
Cum primum natast, Lucilianum Cassium (1).

---

spondaicorum, quos aiunt, numerus longe minor, quam quod creditum hactenus est. Additae inscriptionis verba turbant omnia, ni ita disponas: *hoc sepulcrum T. Flavius Eutychianus, memoriae C. Rufini alumni sui fecit lacrumans.* Idcirco pro eo, quod apud Gruterum est M. M. emendavimus: M. C.

(1) Gruterus pag. 660. n. 1. Xantippen, quae per ludum et *Iaia*, Parentes alumnam addixere Cassio Luciliano. Xantippe itaque, cum vix nonum exegisset mensem ultra ter-

XXVIII.

DIS. MAN

POPILIA. FELICVLA
PIA. SANCTA. CARA. SVIS
ET. MENOPHILO. CONIVGI
COLLIB. SVO. V. A. XIX.

Hunc tibi nunc titulum statuo, carissima coniux,
Luctuosumque mihi, qui scio, quid fueris.
Extremum officium quoniam tibi reddere cogor,
Et merito hoc fieri, testis et ipse loquor.
Nunc vos contestor, Manes, quibus ossa relinquo:
Tellus, huic tumulo ne gravis esse velis (1)

---

tium annum, lue ignita, *iaia* pueriliter balbutiens, confecta est. Xantippe *Iaiae* cognomen adhaesit ex eo, quod illud saepiuscule infantili simplicitate a pupula repetitum, adblandientium consensu, plausuque fuerit eidem confirmatum. Id ipsum de vocibus *Issulae*, et *Issuli* dicito, de quibus frustra anxium se praebet Fabrettus: sunt etenim ipsissima *ipsulus*, et *ipsula*, quibus efferendis cum frustra laborarent pupi, pupulaeque, *issum*, et *issam* referebant, ex quibus per molliculam deminutionem profecta *Issulus*, et *Issula*.

(1) Gruterus ad pag. 990. n. 10. Menophilus Popiliae, ut evidens est, titulum statuit, eaque de re τῃ *carissime* 2. vers. quod est in Grutero, *carissima* reddidimus. Observent tirones synaeresin in *uo* ad vocem *luctuosumque*, vel sincopen potius ad vocalem *u*, quae truncatur, nisi forte placeat

XXIX.

T. STATILIO. VOL. APRO. MENSORI
AEDIFICIOR. VIXIT. ANN. XXX. M. VIII. D. XV
T. STATILIVS. VOL. PROCVLVS
ACCENSVS. VELATVS. ET. ARGENTARIA
EVTYCHIA. PARENTES. FILIO. OPTVMO. ET
ORCIVAE. ANTHIDI. VXORI. EIVS. SIBIQVE. ET. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQ. EORUM.

Innocuus, Aper, ecce iaces. Non Virginis ira,
Nec Meleager atrox perfodit viscera ferro.
Mors tacita obrepsit subito, fecitque ruinam,
Quae tibi crescenti rapuit iuvenile' figuram (1).

XXX.

Hic Aquilae cineres miserabilis urna sepultos
Contegit, et fatis exproperata nimis.
Occidit infelix, coepto modo flore iuventae,
Quam finiit annus septimus, et decimus.
Formonsus, frugi, doctus, pius a Patre moesto
Accepit tumulos, quos dare debuerat (2)

---

magis diphthongus in *uo*, de quo apud Grammaticos nec vestigium, nec vola.

(1) Ex Bonada Vol. II. pag. 121. *Virginis*, intellige Dianae. *Iuvenile* pro *iuvenilem*, unde liquet *em* in fine corripiendam. VOL. intellige *Volinia Tribu.*

(2) Ex Grutero ad pag. 669. n. 10. *Formonsus*. Ni hu-

XXXI.

Simulacrum Palladis.

Pallas ego, ex auri fulvo conflata metallo,
Quod sacri Musis contulerunt Iuvenes.
Dimidium posuit Cephisius. Addidit illi
Octavam Thespis. Deinde Solon decimam.
Vicenam Themison partem. Novem at ipsa talenta,
Quae deerant, atque ars, munus Aristodici est (1).

---

manitus aliquid quadratario exciderit, vide veram caussam secundi *o* producti in voce *formosus*.

(1) Fractiones ad unitatem totius expensae refer, et aequatio erit huiusmodi :

$$\frac{1}{8} + \frac{1}{10} + \frac{1}{20} + 9 = \frac{1}{2}.$$

Emergit inde numerus 40, cuius dimidium 20, eaque Cephisii pars. Deinde 5, nempe pars octava 40, quam contulit Thespis. Tertio loco 4, pars decima 40, quam Solon impendit. Quarto loco 4, pars nempe vicesima 40, quae Themisoni tribuitur. Iam $5 + 4 + 2 = 11$: quibus adde 9 talenta Aristodici, exurget impensae totius dimidium alterum 20. Tota igitur impensa = talentis 40. Aristodicus igitur munificentia praestat caeteris, uno excepto Cephisio, qui talenta viginti contulit: nisi velis, impensum pro sola arte ab Aristodico excessisse talenta 11, quod incredibile. Hanc inscriptionem cum iis, quae sequuntur ad num. usque XXXIV. in Sacrarum censum refer.

XXXII.

Promachus Apollini.

Hunc arcum, et Pharetram victor suspendit inanem,
Phoebe Pater, Promachus, munera grata tibi.
At medias inter volitantia tela Phalanges
Hostes in medio pectore fixa gerunt (1).

XXXIII.

Eidem.

Furcillasque, pedumque Tibi, viscoque madentes
Hosce auceps Medon, Phoebe, dedit calamos;
Parvi operis munus parvum, maiora daturus,
Abs te, Phoebe, aliquid maius ubi accipiet (2).

XXXIV.

Pyrrhus Iovi.

Ditem Asiae Terram quae vastavere; tulerunt
Quae tibi triste olim, Graecia, servitium;
Nunc Iovis in Templo pendent erepta superbae
Aeacida a Pyrrho serta Macedoniae (3).

(1) Mnesarchi. *Anth.* L. 6. c. 25. n. 2.
(2) Aegidis. *Anth.* L. 6. c. 15. n. 27.
(3) Ex Pausania *in Attic.*

XXXV.

Orphei tumulus.

Orphea, Threicii nemoroso in vertice Olympi
Prolem Calliopes, contegit hic tumulus.
Orphea, qui thyasos invenit primus Iacco
Ducere, et heroo nectere verba pede:
Orphea, cui durae quercus, cui saxa, ferarum
Cui brutum toties paruit omne genus:
Orphea, Plutonis mentem, atque immania solus
Qui potuit dulci flectere corda lyra (1).

XXXVI.

Tumulus Hesiodi.

Locridos in nemora Hesiodi frigentia leto
Membra suis Nymphae fontibus abluerunt;
Ac tumulum struxere viro, cui rustica pubes
Lac niveum, inferias, flavaque mella dedit.
Et merito tam dulce melos de gutture fudit
Pieridum puro potus ab amne Senex (2).

---

(1) Incerti. *Anth.* L. 3. c. 25. n. 9. Hoc cum sequentibus usque ad n. XLII. refer ad monumenta virorum insignium.
(2) Alcaei. *Anth.* L. 3. c. 25. n. 17.

XXXVII.

Tumulus Homeri.

Pieridum sacer Interpres, divinus Homerus
Heic situs aequoreo conditur in scopulo.
Tantum parva virum tegit Insula. Parce sed, hospes,
Mirari, vatis parce dolere vicem.
Errabunda mari sic Delos Matris ab alvo
Egressum excepit parvula Latoidem (1).

XXXVIII.

Quantus Alexander Lysippi spirat in aere!
Quae Ducis e vultu vis micat, eque oculis!
Ora etenim ad Caelum tollens, o Iuppiter, inquit:
Laetus habe Caelum, tu tibi: Terra mea est (2).

XXXIX.

Sic clypeum Ambraciae opposuit pro moenibus audax,
Praeque fuga, mortem cepit Aristagoras,
Theupompi soboles! Nec mirum. Doricus hoc vir
Ingenio est: vitae non timet, at patriae (3).

---

(1) Paulli Silentiarii. *Anth.* L. 3. c. 25. n. 4.
(2) Asclepiadae. *Anth.* L. 4. c. 8. n. 37.
(3) Damageti. *Anth.* L. 3. c. 5. n. 12.

XL.

Tumulus Agathonis.

Abdera impositum flammis Agathona supremis
Omnis ad extructos luxit amica rogos.
Cui similem haud umquam iuvenem virtute cruentus
Armorum saevo in turbine Mars rapuit (1).

XLI.

Occisorum ad Thermopylas.

Hos patriae decus aeternum virtute ferentes
Involvit nigra pallida mors nebula.
Nec rapti periere tamen, quos fama superstes
Sedibus ereptos vindicat e Stygiis (2).

XLII.

Liberatorum Patriae.

Hos, patriae qui colla iugo solvere, iacentes
Nigra sub obscuro pulvere terra tegit.
Facta virum sed clara vigent, civesque sepulcrum,
Pro patria ut cupiant fata subire, monet (3).

---

(1) Anacreontis. *Anth.* L. 3. c. 5. n. 3.
(2) Alcaei *Anth.* L. 3. c. 5. n. 22.
(3) Mnesalci. *Anth.* L. 3. c. 5. n. 15.

XLIII.

Ladas Cursor.

Qualis eras, Lada, fugiens pernicior Euro,
Vixque imo tangens flammeus ungue solum:
Aere Myro talem fecit, studiumque coronae,
Et primae toto e corpore laudis honor.
Laetaque se prodit fiducia pectore: ab alto
Ductam animam summis cernimus in labiis.
Iam fugiet: palmae adsiliet: iam iamque volucre
Aes, ipso levior quod ciet ars, animo (1).

XLIV.

Athleta Spartanus.

Non ego Messena venio, non missus ab Argis.
Luctator Sparta: Sparta mihi patria est.
Illi arte, atque dolis vincunt: ego, vincere par est
Ut Lacedaemonium, viribus indomitis (2).

---

(1) Incerti. *Anth.* L. 4. c. 2. n. 4. Sensus versuum postremorum est: *aes*, *quod ciet ars levior ipso animo*, *iam iam volucre esse*, idest volitare, si oculis credas.

(2) Damageti. *Anth.* L. 1. c. 1. n. 2.

XLV.

Horti prope mare.

Quarum sit locus hic, magno certamine certant
Nymphae, Naiades, Nereides, Dryades.
Lecta Charis iudex, haeret suspensa, quod aeque
Heic maria, heic fontes, heic memora esse videt (1).

XLVI.

Terra, sinu Eucratidan mollis, precor, excipe amico,
Haud oblita, senex quae tibi contulerit.
Multa labos ut te felicis termite olivae,
Ut stirpe ornarit laetifica Bromii.
Frugibus ut densis hortum, et pomaria ducta
Ut tibi per sulcos saepe rigarit aqua.
Pro quibus incano capiti levis esse memento,
Et florum e viridi germina funde solo (2)

XLVII.

Eugeniae tumulus.

Florentem roseisque genis, et carminis arte,
Doctrina Sancti iuris et omnigena

---

(1) Paulli Silentiarii. *Anth.* L. 4. c. 15. n. 2.
(2) Incerti. *Anth.* L. 3. c. 6. n. 32.

Eugeniam heic tellus cohibet, cui vertice funus
Duxerunt raso, Musa, Themis, Paphie (1).

XLVIII.

Archedices tumulus.

Hic iacet Archedice, quae Regum Filia, Mater,
Nupta, Soror, fastu non tamen intumuit (2).

XLIX.

Philaenii puellae tumulus.

Heu miseranda iaces, Philaenion optima! nec te
Mater in ornatos duxit ovans thalamos.
Sed tria nondum etiam complentem lustra cruentas
Ungue genas lanians condidit hoc tumulo (3).

L.

Callimachi pueri funus.

Quinquennis puer, et curarum nescius Orco
Raptus ab immiti Callimachus perii.

---

(1) Agathiae. *Anth.* L. 3. c. 12. n. 31.
(2) Paulli Silentiarii post *Idyll.* Theocr.
(3) Persae. *Anth.* L. 3. c. 32. n. 13.

Ne me flete tamen: cui vitae tempora parva,
Huic etiam vitae pauca fuere mala (1)

LI.

Timadis puellae.

Timadis hic cinis est: innuptam in flore iuventae,
Quam nigro excepit Persephone thalamo.
Cuius busta super flavo de vertice tonsam
Aequales cunctae deposuere comam (2).

LII.

Sabini tumulus.

Sit lapis hic nostrae, caput o mihi dulce, Sabine,
Exiguus magnae testis amicitiae.
Te mihi nulla dies, tibi me nec frigida Lethe,
Spero equidem, immemori diluet ex animo (3).

---

(1) Lucian. *Anthol.* L. 3. c. 9. n. 2.
(2) Saphus *Anth.* L. 3. c. 32. n. 13.
(3) Incerti. *Anth.* L. 3. c. 1. n. 19.

LIII.

Nicodici tumulus.

Quem sua extinctum luget domus obruta fletu,
Tota bonum luget Patria Nicodicum (1).

LIV.

Suburbanum nomine Amor.

Huc ades, huic languens horto succede, Viator,
Et fessum in viridi gramine pone latus.
Heic ubi sponte sua, platanis cingentibus, alte
Prosilit, et dulci murmure lympha sonat.
Verna ubi odoratos miscent se germina florum
Per sulcos, violae, purpureaeque rosae.
Cerne, solo serpens ut prata madentia rore
Passim hedera effusis implicat uda comis.
Cerne hunc, qui viridem vitreus ripam secat amnis,
Nativi et nemoris mordet utrinque latus.
Et merito sum dictus *Amor*: nam nulla venustas,
Nullus non Charitum me lepor exhilarat (2)

---

(1) Simonidis. *Anth.* L. 3. c. 1. n. 18.
(2) Mariani. *Anth.* L. 4. c. 30. n. 4.

LV.

T. ARRIO. T. F. ETRO. TERTIO
ANN. XXI
MVCIA. T. F. MODESTA
M. V. F
SIBI. ET. T. ARRIO. M. F. VIRO
Invida florentem rapuerunt fata iuventam,
Nec liquid misero me superesse meis.
Flevit praesentem Mater, flevere Sodales,
Et Mater tepido condedit ossa rogo,
Quae prius hoc titulo debuit ipsa legi.
IN. AGRO. P. XX. IN. FRONTE. P. XX (1)

LVI.

M. ANNAEVS. M. F. ESQ
LONGINVS. MACCVS. VIXIT
DVLCISSIME. CVM. SVIS. AD. SVPREMVM. DIEM
C. GAVIVS. PRIMIGENIVS. VIX. ANN. VII

---

(1) Gruterus ad pag. 670. n. 7. *Liquid* pro *licuit*. Literae *q* sonum a *c* vix olim distinctum, probat ille Tullii iocus in coquum quempiam, cui ultra culinae fines ambienti sic ille: *Et ego te*, *quoque*, *iure meo iuvabo*; ubi *ius* culinam sapit, et *quoque* est pro *coque*. In *Agro* longitudinem, latitudinem in *Fronte* intelligant adolescentes. Locus igitur sepulcri huius quadratus. M. V. F — *Mater vivens fecit*.

Desine iam, Mater, lacrimis renovare querellas,
Namque dolor talis nunc non tibi contigit uni (1).

LVII.

. . . OROO. MEMORIAE. ATILIAE. L. F.
POMPTILLAE. BENEDICTAE, M. S. P.
D. M
ATILIAE. L. F. POMPTILLAE.. MA.. M.. IMRIE
ASSIOTILLA. . . TAA. . . PTINTIIS. . . SANCTIS
L. ATILIVS. FELIX. . . . ET. . . . IEV
IVSTILVS. . . III. . . . . IPSO. . . . .

Urbis alumna graves casus huc usque secuta
Coniugis infelix Atilia, cura Philippi,
Hic sita sum, manibus gratis sacrata mariti,
Pro cuius vita vitam pensare precanti
Indulsere Dii. Ne cesset fama, meremur.

Ad dexterum latus.

Quod credis Templum, quod forte, Viator, adoras,
Pomptillae cineres, ossaque parva tegit.
Sardoa tellure premor comitata maritum,
Proque viro fama est, me voluisse mori.

---

(1) Murator. Vol. III. p. 739. n. 10.

Ad sinistrum.

Hic Pomptilla iacet cineri coniuncta Philippi.
Iunonis sedes infernae cernite, cuncti.
Numine mutato, fulget Pomptilla per aevum.
Unum, et viginti bis iuncti viximus annos,
Una fides nobis gaudia multa dedit.
Et prior ad lectum cum sim Pomptilla recepta,
Tempore tu, dixi, vive, Philippe, meo.
Nunc aeterna quies, Ditisque silentia maesta
Hanc statuere mihi pro pietate domum.
Languentem tristis dum flet Pomptilla maritum,
Pro vita voluit coniugis ipsa mori.
Protinus in placidam delabi visa quietem
Occidit. O celeres in mala vota Dei!
Has audire preces, vitam servare marito,
Ut pereat vita dulcior illa mihi. (1)

(1) Muratorius ad pag. 1538. n. 4. In penult. versu habet ille: *Has audite.* Corrige: *has audire.* M. S. P. *Monument. sua pecunia.* A Burmanno mutuati sumus, quae literis currentibus signata.

LVII.

D. M. V. F
Q. VIBIVS. L. F. SCA
MAXIMVS. SMINTIVS
AERARIVS. SEX. VIR
SIBI. ET. MEMINIAE. Q. F
MAXIMAE. VXORI. DVLCISSIM
ET. Q. VIBIO. Q. F. VERO. F. ET. L. FRATR. SVO

Hic lapis , et tutamen erit post morte sepulcro ,
Et dabit indicium , obitos hic esse sepultos ,
Si tamen ad Manes credimus esse aliquid,
Vivere quid prodest , nisi si post morte caremus?
Nomen , fama volat : tantum corpusque crematur ,
Aeternamque Domum petimus , et fine laborum.
Dum legis hoc , disce ponere et ipse tibi. (1)

---

(1). Ex Bonada Vol. II. pag. 130. *Fine* pro *finem* , et *morte* pro *mortem* bis positum. D. M. V. F — Dis. manibus. viv. fecit.

LVIII.

...... MENS. IIII
.. MANES. SI. SAPERENT. MISERAM. ME
ADDVCERENT. CONIVGEM
VIVERE. TE. IAM. QVO. ME
LVCEM. IAM. NOLO. VIDERE
DVLCEM. CARVI. LVCEM. CVM. TE
AMISI. AEGO. CONIVNX
Has tibi fundo dolens lacrimas, dulcissime coniux;
Lacrime si prosint, visis te ostende videri.
HAEC. TIBI. SOLA. DOMVS. SEMPER
IN. PERPETVO. VALE. MI. CARISSIME
CONIVX

LIX.

Si quis forte velit tumuli cognoscere fatum,
Et quorum maestus contegat ossa lapis;
Accipiat paucis, ne sit mora longior aequo,
Si tumulus teneat, quem vocat ipsa via.

---

(1) Ex Murator. ad pag. 1428. n. 3. Ex quo naufragio est, quod colligas opportune. *Lacrime si prosunt*; *lacrime* videlicet pro *lacrimae*, neque aliter constare poterat ultimae syllabae correptio, nisi dempto *a*, quo facto, reliqua *e* brevis evasit.

Hic situs est annis plenus, vitaque beatus,
Et laetus omni more Rhodanthirion.
Nec tibi sit mirum, quod comis, dulcis; amoenus,
In vita fuerit: nomine floris erat.
Hanc Coniux talem nimio dilexit amore,
Inque diem vitae una fide coluit.
Et postquam fatis morientia lumina solvit,
Supremumque suis reddidit obsequium.
Invita hoc munus Coniux Victoria fecit,
Quodque virum vicit, aegra dolore fuit.
Sed quoniam fatis nulli est obstare potestas,
Quin teneant cursum, quem statuere semel;
Quod solum licuit, coniux fidissima fecit:
Post illum, nulli fas violare toros.
Servatamque diu vitam, habitamque pudice
Post mortis casum pertulit ad tumulum.
Namque simul posita est, fatoque tenetur eodem,
Quoqe modo potuit, morte secuta virum.
Haec est sancta fides, haec sunt felicia vota:
Amplexus vitae ì reddere post obitum.
Fortunati ambo, si qua est ea gloria mortis,
Quos iungit tumulus, iunxerat ut thalamus (1).

---

(1) Ex Bonada Vol. II. pag. 121. Pro *Rhodanthio* recudimus *Rhodanthidion*, Mazochium secuti. *I* pro *ei*, quemadmodum *im* pro *eum* apud Plautum.

LX.

SECVRITATI. SACR
VALERIVS. IVLIANVS. ITALICO. FILIO.
INFELICISSIMO. ET
HONORATAE. MAMMVLAE. HVIVS. FECIT

Dispar, damna lege Parkarum, et carmina dispar:
    Haec ridenda mihi est, hic lacrimandus erit.
Haec namque emeritos bis quadraginta per annos
    Vixit; ad hic tertio Consule natus erat.
Cur modo tam praeceps, iterum tam sera fuisti,
    Funeris amborum, dic, rea Persephone?
Vix lucem vidisse, satis, qui vivere posset:
    Vivere quae nollet, vix potuisse mori (1)!

---

(1) Ex Marmor. Mus. Borbonici, quem refert Gruter. pag. 663. n.2. sed male ad v.5. pro *iterum* legitur *puerum*, et *tulisti* pro *fuisti*, et *terno* pro *tertio*, et *saeva* pro *sera*. *Ad* pro *at*, et *io* ad voc. *tertio* in unam syllabam syncope, vel synaeresi contractum. Disparitas, quae in fatis est pueruli vix trimuli, et mammulae octogenariae, lectori κατ' ὑπερβατον tribuitur.

LXI.

D. M.

FILIVS. HIC. SITVS. EST
IVLI. BASSI. BASSIANVS
ANNOS. QVI. VIX.X.
ET. XIIII. SOLES

Quem quoniam Manes, ut alumnum, Di rapuerunt,
Ne calcare velis, nec grabis esse loco (1).

LXII.

Attulit hoc virtus tibi Nosto morte peremptae,
Ut praeter tumulum, Vir daret et lacrimas (2)

LXIII.

NOME. VIXIT. ANNO. ET. MENSIBVS. VIII. DIEBVS.XII
H. S. E. S. T. T. L

Nome fuit: nomen haesit nascenti Cusuccia:
Utraque hoc titulo nomina significo.
Vixi parom, dulcisque fui, dum vixi, parenti.
Hoc titulo tegeor: debita persolui.

---

(1) *Ex Mus. Veron.* pag. 295. *Grabis* loco *gravis*. *Soles* pro *diebus*, rarum, sed non inusitatum tamen.

(2) Incerti. *Anth.* L. 3. c.10. n. 27. *Nostus*, mulieris nomen.

Quiqe legis titulum, sentis quam vixerim parvom.
Hoc peto nunc dicas: sit tibi terra levis (1).

---

(1) Fabret. pag. 146. n. 174. in quam sic Bonada : *in vocibus* nomen, nascenti, utraque, vixi, parom, et vixerim vides, quam *incerta apud veteres prosodia.* Atqui per me nil certius, exemploque sit ipsa, quae in contrariam sententiam, exempla affert Bonada. 1. de prima τȣ *nomen*, quam correptam putat, nullum negotium est; longa etenim constat, ita hexametri illius initis rationibus : *Nome fu it no*; *en* in fine producta, ob caesuram incidentem. Ad vocem *nascenti* non una responsio. Primum sic versus suis constare pedibus queat :

Nome fu-it no-men hae-sit na-scenti cu-succia ,

a mimirum in fine vel per synaeresin confusa cum *i*, vel per diaeresin elidenda ab *u* initiali sequentis pentametri. *I* in fine vocis *nascenti* corripitur multatione vocalis *e*, quae subauditur in ea voce, quam alias *nascentei* esse oportebat. Deinde si haec minime arrideant, facta diaeresi vocis *nascentei*, res omnis salva erit. Simili modo patet responsio pro ultima correpta ad voces *vixi*, et *vixerim.* Sed ad το *vixi* quod attinet, recursus habendus ad multationem *e* praecedentis; *vixi* namque erat *vixei.* Sed ad το *vixerim* ultimum *i* natura breve, ut in *vixeris*, et *vixerit.* Ad vocem *utraque*, quid sibi velit vir eruditus, me ignorare profiteor. Sed bene habet : nam *a* in *utraque* productam arbitratur, cum interim auferendi casus non sit, in quo ille oppido fallitur; nam brevis adhibetur in epigrammate, neque vero ultima *e* eliditur ab insequente *hoc*, quod nemini novum continget.

LXIV.

D. M
C. DOMITI. PRIMI
Hic ego su in tumulo Primus notissimus ille.
Vixi. Lucrinis potabi saepe Falernum.
Balnia, Vina, Venus mecum senuere per annos.
Hec ego si potui, sit mihi Terra lebis.
Et tamen ad Manes Foenix me serbat in ara,
Qui mecum properat, se reparare sibi.
L. D. FVNERI. DOMITI. PRIMI. A. TRIBVS.
MESSIS. HERMEROTE. PIO. ET. PIA (1)

---

(1) Ex Marmoribus Musei Borbonici. *Su* pro sum in 1. v. Verte *b* in *u* ad voces *potabi*, *Lebis*, *serbat*. Monumentum viro Epicureo dignissimum, qui cum Balneis, vino, et Venere consenuit. *Hec* pro *haec*. Versuum 5. et 6. hic videtur sensus esse. Ridet Domitius Foenicis curam, qui Aram *servat*, idest dedicat, ipsi Domitio ad Manes, idest Diis Manibus, quos nullos agnoscebat, cum interim Foenix, Domitii imitatione, properaret *reparare se sibi*, quo genio videlicet indulgeret.

Locus sepulturae datus ab Hermerote, Pio, et Pio e Gente Messia.

Lucrinis. Ni quid aptius suppetat, intelligerem de *amphoris*, quae apud Lucrinum lacum fingebantur ad usum vini potandi.

LXV.

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS

Quisquis huic tumulo posuit ardente lucernam,
Illius cineres aurea terra tegat (1).

LXVI.

DIS. MANIBVS
VLIIAE. HELPIDIS

Ossa pia, cineresque sacri hic ecce quiescunt (2).

LXVII.

Sic tibi contingat feliciter ire, Viator!
Immatura meo perlege fata loco.
Zelotos iaceo: vixi, dum fata sinebant,
Si tamen haec vita est, tam cito posse mori.
Bis mihi septenis finis datur ultimus annis.
Nomini me rapuit mors inimica meo (3).

---

(1) Gruter. pag. 1148. n. 17. *Ardente* pro *ardentem*, unde *em* in fine vocum breve.

(2) Gruter. pag. 909. n. 14.

(3) Fabret. pag. 88. n. 164. Male Muratorius pro *nomini* legit *nomine*. Cur *i* in fine vocis huius olim correpta, dictum alibi, et saepe.

LXVIII.

Sextus Pompeius, idem cognomine Pandus,
Quoius et hoc ab avis contigit esse solum;
Aediculam hanc Nymphis posuit, quia saepius usus
Hoc sum fonte Senex tam bene, quam Iuvenis (1).

LXIX.

. . TI ANTONIO RVFINO. QVI VIXIT. ANN. XII
M. . . . ANTONIAE. RVFINILLAE. QVAE
VIX. AN. . . M. II. D. XIII. H. VI. FILIIS. DVLCISSIMIS
TI. ANTONIVS. VICTOR. PATER. ET. ANTONIA
RVFINA. MATER. FECERVNT. ET. SIBI. SVIS. LIB. LIBER.
TABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM

Quisquis es, huc oculos paullum converte, Viator,
Et lege, quod nomen hic titulus teneat.
Antonî fratres, vivorum plaga parentum,
Perfuncti fato hic tenuere locum.
Ambo per invidiam crudeli funere rapti,
Rufinus prior, et Rufinilla dehinc (2).

---

(1) Ibid. n. 9. *Quoius* quasi *cuoius*, ex quo indicium quoque sumitur diphthongi *uo*.

(2) Fabret. pag. 188. n. 432. *Rufinilla* in *Rufiinilla*, ut ego arbitror, resolvenda per *diaeresin*, ut *seu* in duas syllabas tributam videre est eodem iure in seq. inscriptione, sane elegantissima.

LXX.

Iulia, quae longa fueras dignissima vita,
Occidis e nostra rapta puella sinu.
Sed comes ardentis nunc degis iuncta Coronae,
Nunc Helicen propius cernis, et Andromedam.
Me cruciat, Coniux, miserumque absumit amantem,
Saevus Amor, nullis ignibus inferior.
Namque seu rebus fuerim districtus agendis,
Seu dederim vacuo languida membra thoro;
Tu mihi semper ades, tua praesens semper imago,
Quae misero moveat flebile cordolium!
Impia, cur miseros, o mors, disiungis amantes,
Quos bene conveniens conciliarat amor (1)?

LXXI.

HERENNIA. NICE
V. A. III. M. VIII. D. XVI.
ANICETVS. PATER. FEC

---

(1) Fabret. pag. 188. n. 431. Vide diphthongum *seu* in duas syllabas per diaeresin resolutam. Placet huc et illud ex Anthol. Lat. in *Collect. Pisaur.* afferre:

Carpis si matrem, iam cui convenient?

in quo *το cui* in duas breves dissectum vides, transmigratione videlicet *υ* consonae in vocalem per diaeresin. Ex quo item intelligimus, vocem hanc, cum monosyllaba foret, quasi *τῳ qui* olim fuisse; nam et litera *c* vix a *q* differebat.

Condita sum Nice, quae iam dulcissima Patri,
Ducens aetatis tenerae *vix* quattuor annos.
Abrepta Superis flentes iam liqui Parentes (1).

LXXII.

V. F
L. VALERIVS
SEVERINVS.
GAVIAE. M. F. INGEN
CONIVGI. SANCTAE
AC. PIISSIMAE. VIXIT
ANNIS. XXIIII

Casta, pudica, decens, sapiens, generosa, probata (2).

---

(1) Murator p. 1171. n. 9. Pro *tenera tenerae* restituimus, addita particula *vix* ad metrum implendum. Vides ultimam *i* in *liqui* correptam. Ad duplicationem literae *t* pro voce *quattuor*, et caeteris similibus, adnotatum alibi est. Adeo persuasum veteribus de brevitate vocalis simplicis, ut si quando produci eamdem opus esset, nec contractioni locus foret, consonam insequentem geminarent: sic *relligio*, *relliquiae*, *litterae*, *littus* pro *religio*, *reliquiae*, *literae*, *litus*, quae quis ignorat?

(2) Murator. pag. 1415. n. 10. Duae initiales V. F — *Viv. Fec.* INGEN. idest *Ingenuae*, Gaviae cognomen.

LXXIII.

Q. CAECILIO
Q. F. PAL. OPTATO
VIXIT. AN. II. ME. VI
Q. CAECILIVS. Q. ET. Ↄ. L
HERMES. SEVIR
ET. LICINIA. REPENTINA
PARENTES. PIISSIMI. POSVER. ET
Q. CAECILIVS. Q. F. PAL
PAELINVS. PATER

Hic iacet Optatus, pietatis nobilis infas,
Cui precor, ut cineres lilia, sintque rosae.
Terraque, quae Mater nunc est tibi, sit levis, oro,
Namque gravis nulli vita fuit pueri.
Ergo, quod miseri possunt praestare Parentes,
Nunc tumulum nato constituere suo (1).

---

(1) Gudius pag. 231. Secundum vers. nos, metri gratia, refinximus, ut vides. In tironum gratiam placet, totius epigrammatis explanationem exponere, quo assuescant et similia ipsi per se aestimare. 1. Titulus Q. Caecilio Optato, Tribu Palatina, positus est, qui defunctus est, cum vix menses sex ultra biennium vixisset. 2. Tituli auctores sunt Q. Caecilius Hermes, Q. et Caiae Libertus, Sevir Augustalis, Pater Optati, et Mater eiusdem, Licinia Repentina una cum Hermetis Patre, adeoque Optati avo, Q. Caecilio Paelino.

LXXIV.

MACROBIVS. SIBI. ET. THEODOSIAE
CONIVGI. OPT. V. F

Ille ego, qui varios casus, variosqe laboes
Sustinui, ut multas conciliarem opes.
Amisi moriens rerum quaecunqe paravi,
Et satis ad Manes sufficit urna mihi.
At Iusta Coniux meritis testatur honores
Aeternum retinens consociata torum.
Nos aetate pares, dulcis dum vita manebat,
Unus amor iunxit, nunc premit una quies.
Discite, qui legitis factis adquirere famam.
Ut probat hic tumulus, non perit, esse bonos (1).

LXXV.

D. M.
C. ACILI. EROTIS. ET
ACILIAE. ROMANAE

Quamvis inscriptum ferali carmine saxum
Saepe legas, nostro nil puto flebilius.
Siste gradum, parvamque moram concede, Viator:
Aspicies, quantas liquerimus lacrimas.
Una forte die, duplici nos pondere, Mater
Edidit heu! similes, heu! male dissimiles!

---

(1) Murator. pag. 1370. n. 12. Nulla elisio in fine τῶ *conciliarem*, cuius *e* in fine correpta.

Invida bis denos Lachesis concesserat annos,
Nondum alio pleno, quod dederat, rapuit.
Nomine Acilianus, quo nomine nunc Soror erbast,
Vivat, et a fatis sit procul usque meis (1).
. . . .
. . . .

LXXVI.

Florentem speciem rapuere novissima fata
Formâ rudi puerum, Priscum agnomine quondam,
Quem Genitor, Cives, cuncti flevere propinqui.
L. DESTINIVS. EPIGONIVS. PATER. INFEL
FILIO. DVLCISSIMO. INNOCENTISSIMO (2)

LXXVII.

OPTATVS. NIREVS. ANTHVS
AMICI. SODALES
PACTOLO
DE. FAMILIA. Q. SATRIENI. POLLIONIS
Nos tibi digna tuae monumenta extrema favillae
Fecimus: at nobis tu gemitum adsiduum (3).

---

(1) Ex Murator. p. 1622. *Acilianus* sic tribuendus: *Acil-ianus*.

(2) Gruter. p. 620. n. 8. *a* in fine της *forma* correptum, casus licet auferendi, detracto nempe e *formaa* altero *a*, ut in τω *puta* imperandi modo.

(3) Refert Gruterus pag. 883. n. 6. Sed pertinet ad fa-

LXXVIII.

D. M.

IVLIAE. SECVNDAE. FILIAE
ET. FORMA. SINGVLARI. ET
MORIBVS. PIISSIMIS. DOCTRI
NAQ. SVPER. LEGITIMAM
SEXVS. SVI. AETATEM. PRAE
STANTISSIMAE. QVAE. VIXIT
ANNIS. XI. MENS. VIIII. D. XX

CORNELIAE. TYCHES. VXORIS
ET. INCOMPARABILIS. ERGA
MARITVM. ADFECTVS. SANCTI
TATISQVE. ET. EXIMIAE. ERGA
LIBEROS. PIETATIS. QVAE
VIXIT. ANNIS. XXXVIIII MENS
IIII. D. VII. EX. Is. MECVM. ANN..

Iam datus est finis vitae, iam pausa malorum
Vobis, quas habet hoc gnatam, matremque sepulcrum,
Litore Phocaico, pelagi vi exanimatas:
Illic unde Tagus, et nobile flumen, Hiberus
Vorsum Ortus, vorsum Occasus fluit alter et alter,
Stagna sub Oceani Tagus, et Tyrrhenica Hiberus.
Sic etenim duxere ollim primordia Parcae,
Et nevere super vobis vitalia fila,
Cum primum Lucina daret lucemque, animamque,
Ut vitae diversa dies foret, unaque leti.
Nobis porro alia est trino de nemine fati
Dicta dies leti, quam propagare suopte
Visum olli tacito arbitrio, cum lege perenni,
Sisti quae cunctos iubet ad vadimonia mortis (1).

---

miliam Marmorum Musei Borbonici. *Satrienio* igitur *Pactolo* monumentum statuunt amici, et sodales, *Optatus*, *Nireus*, et *Anthus* item *Satrienii*.

(1) Gruter. ad pag. 690. n. 5. Tanta carminis maiesta-

LXXIX.

D. M
C. FONTEIO. SPVRIANO. FONTEIVS
DIONYSIVS. ET. AVRVNCIA. FLORA
FEC. ET. SIBI. POSTERISQVE. SVORVM

Nec gravius pote, nec brevius. Superante Parente,
Hic iacet aeterna Filius in requie (1).

---

te, elegantiaque afficior, nihil ut sit ultra quod desiderem; et utrum eruditorum auribus sapientius quidquam, absolutiusque quoquo vorsum influxerit, non facile dixerim. Praeter solidos vitae totius annos, mos coniugibus erat, et coniugii annos memorare, quo pertinet formula illa *mecum vixit*. Ne haereant tirones ad ver. 11. sciant, *trino de nemine* de trino filo accipienda. Est enim *nemen inis* a *neo*. *Iulia* igitur *Secunda* una cum Matre *Cornelia Tyche* naufragio periit ad litus Phocaicum; eisque titulum ponit Iulius utrique superstes, Iuliae Pater, Corneliaeque vir. Quam bene ad mortis iura designanda iuris formulae illae in medium productae, et *diem dicendi*, et *sistendi ad vadimonia*, sed *tacito* tamen *arbitrio*, idest nulli mortalium ante cognito!

(1) Idem ad pag. 684. n. 8. Monumenta huius generis *contra votum poni* dicebantur.

LXXX.

HAVE. DVLCIS
POPILIA. ALEXANDRIA. RARISSIMA
FEMINA. A. XXXV. HIC. SITA. EST
M. VLPIVS. INGENVVS. B. M. ET. SIBI
DVLCIS. VALE
Quid lacrimas? factum est. Vir bone, vive, vale.
SED. TIBI. INVIDEO. PIO. QVI
OSSICVLA. MEA. HIC. SITA. ESSE
GEMIS. MORTE. TARDA. VIVAS
AEGER. INOPS (1)

LXXXI.

VIPSANIA. M. L. PHILVSA
VIXIT. ANN. XX
Te, Lapis, optestor, leviter super ossa residas,
Ne nostro doleas condita officio.
M. VIPSANIVS. SP. F. LATINVS. VIXIT. ANN. L
FILIVS. FACERE. QVOD. DEBVERAT. PATRI. MORS. INIQVA *
INTERCESSIT. FILIO. FECIT. PATER (2)

---

(1) Fabrett. pag. 420. n. 381. Epigramma sane suavissimam, affectusque maritalis instar, sive prorsam inscriptionem spectes, sive unicum versiculum, quo nil pulcrius cadere veluti in medium poterat. *Invideo* hic pro *doleo*. Dolet quippe uxor ex eo, quod vir gemat sui mortem, quodque idcirco veluti *tarda morte* ipsum *vivere* necesse sit *aegrum*, et *inopem*.

(2) Fabrett. pag. 284. n. 185. *Optestor* pro *obtestor*.

PARNASSVS, LAPIDARIVS

LIB. III.

I.

D. M

Gaetula Harena prosata,
Gaetulo Equino consita,
Cursando flabris compara,
Aetate abacta Virgini,
Speudusa, Lethen incolis (1).

(1) Ex Marmor. Mus. Borbonici. Iam tum a Neroniana tempestate Mulieres, qua vi, qua libidine, abacto pudore, in arenam descendere assueverant. De Domitiano haec habet Sueton. Cap. IV. ad rem nostram facientia: *In stadio vero, cursu etiam Virginis certamini praesedit crepidatus, purpureaque amictus toga.* Siquidem Speudusae Virgini laus omnis *a cursandi* gloria constat. Verum in adolescentium gratiam totum Epigramma Grammaticorum carpento per partes singulas percurrendum. Initium facio a

II.

Huius Nimpha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, cum blande sencio murmur aqnae.
At tu quisquis *hians nostri* loca concava fontis
Tangis, sive bibas, sive lavere, tace (1).

---

1. *Speudusa.* Vocandi casus, Gaetulae puellae cognomen, eo sine controversia assertum eidem, quod *cursu* praestaret. Est enim *speudusa* απο τυ σπευδειν — *praecurrere.*

2. *Gaetula Harena prosata*, h. e. *prosata ex Gaetula Harena.* Matris nomen Speudusa ciet, non Patris, ex quo conditio eiusdem omnino servilis fit conspicua.

3. *Gaetulo Equino consita.* Si Gaetulus Equinus Speudusae Pater fuisset, loco priore ciendus fuerat, quod secus factum vidimus. Superest, ut aut de viro *Speudusae*, aut de Fratre eiusdem gemello cogitemus. At *Speudusa* dicitur *aetate abacta virgini.* Ergo de Fratre eiusdem gemello intelligas. Opportuna inde antithesis *prosatae*, et *consitae* ab eodem verbo *sero.*

4. *Cursando flabris compara.* Uti olim *pauper*, et *paupera*, *puer*, et *puera*, sic *compar*, et *compara.* Speudusa igitur *currendi pernicitate ventis compar.*

5. *Aetate abacta Virgini.* To *Virgini* pro *Virgine*, in auferendi nempe casu. Sensus est: *Speudusa*, *tu e vivis abacta*, *cum adhuc Virgo esses.*

6. *Lethen incolis.* Intellige: *Lethaeas oras incolis*, quod idem est, ac dicere: *immatura peris.*

(1) Ex Marmor. Mus. Borbonici. *Hians*, et *nostri* per nos suppleta ad carminis mensuram implendam. Nimpha dormiens in marmore. *Sencio* pro *sentio.*

III.

M. S. T. . . . O. M. F
PAI. . . . CO
FISIO. Sere NO
RVTILIO. CAESIANO
IIVIRO. AVGVRI
VIXIT. ANN. XXXI. MENSIB. XI
DIEBVS. XVIII

Iuvenis Sereni triste cernitis Marmor,
Pater supremis quod sacravit, et Frater,
Pietate mira perditum dolens Fratrem,
Quem flevit omnis plantibus novis turba,
Quod interiissent forma, flos, pudor simplex.
Dole, meator, quisquis hoc legis carmen,
Et ut meretur anima, lacrimam accomoda.

IPSIVS
PATER. MISERRIMVS (1)

---

(1) Id cimelii, ut olim a Cl. Vetranio exceptum, humaniter nobiscum, ut suus est mos, communicavit vir eruditus, idemque amicissimus, Augustinus Gervasius. Extat adhuc in parte antica cippi marmorei, Coemeterii apud Nolam effossi IV. Non. Mait. an. 1795. cuius et a parte postica Sella Curulis cum Fascibus. Absque hoc, το IIviro vers. 5. sine addito, vix de IIviro I. D. acciperem.

Quod spatii punctulis signatum intercurrit in prioribus lineis, marmore deinde intus exsecto, penitus excidit.

IV.

SPERATVS. VIX. MEN. VIIII
Flet Domus, et cari lugent sine fine Parentes
Abreptum fatis. Contegor hoc tumulo.
Quis non exemplo doleatur mortis acerbae?
Si me vidisses, aut si mea funera nosses,
Fudisses lacrimas, hospes, in ossa mea.
SPERATVS. ATTALVS. POLITICE. MATER (1)

M. S. fortasse : *Manibus sacrum*, vel Marcus Serenus. T cum Ɔ punctulis utrinque disterminatum quid sibi velit, aucupetur, cui vacat. M. F. = *Marci Filius*, ex quo Fisii Patris titulum curantis praenomen adparet. PAI . . . . . CO veri simile est, ut *Patronum Coloniae* insinuent. Fisius Serenus Caesianus forte dictus, quod adoptione e gente Caesia in Fisiam transierit. Hunc fere luctus publici significatione elatum patet, quod *turba omnis planctibus novis flevisse* illum dicitur. Vox *meator* in Lexicis desideratur : extat tamen composita *Commeator*. Occasionemque nactus, verbum quoque *perfido* addendum moneo, quo Ciceronem novimus usum in eiusdem Fragmentis nuper a V. Cl. Maio detectis, et in lucem editis. Est autem *perfido-valde confido*, vel potius *certus omnino sum*.

(1) Fabret.

V.

A dextro latere.

Heus tu , qui transis secura mente , Viator ,
Siste gradum : hoc tumulo verba notata lege.
Antilla hic iaceo , nondum trieteride plena ,
Bis mihi cum vita carior omnis erat.
. . . .
. . . .
Foecundum novies Romae natam obruit altae
Post duo me natos Arcianense solum.
Sergia mî nomen fuerat; Volumnius , inquam ,
Coniux , fata cuius fausta fuere parum.

A laevo.

Lucius ingenti *romana* stirpe Volumnus ,
Quo , cerne , Ingentem fata tulere mea (1) !

VI.

IVLIA. METHE
His foribus carae recubant mihi coniugis ossa ,
Expectantque suis ut mea contribuam.
Tossius ista tibi promisit saepe petenti :
Praestabit , Maneis si modo tangit amor (2)

---

(1) Murator. pag. 1744. 6: Vide primam in *cuius* correptam. *Doleatur* pro *doleat* , terminatione passiva.

(2) Murat. Vol. III. p. 1356. 7.

VII.

VALERIA. NOVELLA. MATER
HYPPARCHVS. ALVMNVS

Bis binos vix, dum vixit, compleverat annos,
Et nimium fato citius depulsus in antrost,
Nec licuit lumen fato superare parentes.
Venit iniqua dies, et acerbae terminus horae,
Ut titulum miseri lachrimis impleret acerbis.
Vivite felices, quorum fortuna beatast.

VALERIA. NOVELLA. MATER. HAVE. ET. TV
FRATER. HYPPARCHI
ZETEMA
PLENVM. ET. IN ANVM (1)

---

(1) Murator. Vol. III. pag. 1282. 2. Primus versus, lapicidae fortasse vitio, sic habet: *Bis binos vixit dum*, etc. Nos recudimus, ut vides. Postremus habet post *felices* vocem *superi*, quae sententiae non minus, quam metricis incommodat rationibus: sententiae; nam ecquid votum pro felici Superum vita, siquidem *Superum* nomine Dii caelestes intelligantur? metricis vero rationibus ideo, quod nisi vocem hanc de medio tollas, redundat pes unus in carmine. Delendam idcirco censuimus. *Inanum* pro *inane* putat Muratorius barbarice dictum.

VIII.

IVLIANO. FILIO
L. VMBRIVS. SATVRNI . . .

Di Manes, Manes sitis. Iam morte misellis
Praepopera senibus serò datum rapitis.
Hic etenim Puer est Umbrii de sanguine cretus,
Invida quem tenerum Parca tenax rapuit.
Quo matri multos scribsit, multos quoque Patri
Ingratis annos, vota satis misera.
Nam solos septem proleso . . os. duxerit orbes,
Septuaginta forent, nì miseros cuperet,
Qui pro vinetis, fundis, terraque, marique,
Hoc solum proli, hoc peperere solum (1).

---

(1) Ex Bonada Vol. II. pag. 227. Vers. 7. et 8. quales Bonada refert, dedimus: sed nihil inde datur extundere. Fortasse legendum: *Nam solos septem proles si duxerit orbes*. Sed ne hoc quidem posito, sensus liquido emerget. Auferendi casus in *o* olim commune: inde *sero* correptum, ut in *cito*. Inde videre est, apud veteres Latinos poeticos fines quondam non minus late patuisse, quam apud Graecos: sed hi libertatis tenaciores servarunt; illi gravitatis studiosiores paullatim coercuere. *Scribsit* pro *scripsit*. Sic in Ciceronianis Palimpsestis, quae Cl. Maius nuper ex Orco revocavit, fere semper.

IX.

Hic situs Amphion ereptus prima iuventa.
Nondum terdenos numerabat temporis annos,
Heus! immatura mors properata sibi.
C. MARCIVS. PAVLVS. C
NATO. PIENTISSIMO (1)

X.

D. M
LASCIVIAE. IVCVNDAE. VERNAE
Q. SVLPICII. ABASCANTI
Quae nondum septem vitae compleverat annos,
Quae caruit luce, et tenebris se miscuit atris,
Lascivia nimium fatis crudelibus orta est.
Liquit et orbatos miseros, fidosque parentes,
Uberibus pressis nutricem liquit amantem.
Coniux nutricis infelix ille relictus
Moeret, et ad cineres plangit sua pectora palmis (2).

---

(1) Murator. pag. 1129. 9. Vide *a* in sexto casu correptam, ad vocem *prima*, consulantque adolescentes, quae alias hac de re disputata sunt. Caveant tamen, haec, aliaque similia ipsimet imitari, quibus satis est scire, quid, quibus de caussis, olim veteribus factum.

(2) Ex Bonada Vol. II. pag. 403. *Plangit* in significationem *tundendi* usurpatum.

XI.

Ummidiae Manes tumulus tegit iste, simulque
Primigenî vernae, quos tulit una dies.
Nam Capitolinae compressi examine turbae
Supremum fati competiere diem.
VMMIDIE. C. F. ET. P. VMMIDIO. PRIMIGENIO
VIX. AN. XIII. P. VMMIDIVS. ANOPTES. LIB.
FECIT (1).

XII.

FLORIDI.

Quod vixi, flos est: servat lapis hic mihi nomen.
Nolo Deos Manes. Flos satis est titulo (2).

XIII.

D. M
FLAVIAE. DIONYSIADIS
Hic iacet exiguis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui quae pede rupit iter.

---

(1) Ex Marmoribus Musei Borbonici, quam refert et Gruterus pag. 895. n. 10. Notanda acceptio verbi *competo*, quae hoc loco est *simul petere*, seu *oppetere*.

(2) Fleetvood pag. 330.

Cuius in octava lascivia surgere messe
    Caeperat, èt dulces fingere nequitias.
Quod si longa tuae mansissent tempora vitae,
    Doctior in terris nulla puella foret.
VIX. ANN. VII. MENS. XI. DIEB. XV. HOR. VII
ANTIA. TIBVLLA. VERNAE. SVAE
DVLCISS. FECIT (1)

XIV.

Florus ego hic iaceo *miser*, *et* Bigarius infans,
    Qui cito dum cupio currus, cito decidi ad umbras.
IANVARIVS. ALVMNO. DVLCISS (2)

---

(1) Ex Grutero pag. 654. n. 3. *Vernae* dicebantur *famuli*, *famulaeve* domi natae, hocque ipso dominis cariores, honestioresque habiti. Epigramma, Charitibus dictantibus, exceptum.

(2) Idem ad pag. 656. n. 1. *Alumni* erant, quos filiorum vice quisque sibi *alendos* suscipiebat, occurruntque fratres alumni fratrum. Voces duae signatae *miser*, *et* a nobis additae ad carminis implendam mensuram.

XV.

D. M
EVTYCHETI
AVRI. ANN. XXII
FL. RVFINVS. ET
SEMP. DIOFANIS. SERVO. B. M. F

Hoc Rudis aurigae requiescunt ossa sepulchro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Iam qui quadriiugos auderem scandere currus,
Et tamen a biiugis non removerer equis;
Invidere meis annis crudelia fata,
Fata, quibus nequeas opposuisse manus.
Nec mihi concessa est morituro gloria Circi,
Donaret lacrimas ne pia turba mihi.
Ussere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos medicae non potuere manus.
Sparge, precor, flores supra mea busta, Viator.
Favisti vivo forsitan ipse mihi (1).

---

(1) Gruter. pag. 340. n. 4. Eutycheti, Aurigario quadrigario, et bigario, cui *Rudis* cognomen, titulum ponunt Flavius Rufinus, et Sempronia Diofanis. Numeris omnibus absolutum ellogium.

XVI.

CALPVRNIA. ATHIS. FECIT
Dextera fama mihi fuit, et Fortuna patrona,
Magnifici coniunx Caesaris illa Dei.
Qua bene tutus eram, caris nec vilis amicis,
Queis etiam mecum plurima cura fuit.
Athis caussa meae vitae, quae cara sepulcro
Condidit ossa suo. Nominor Ikadium (1).

XVII.

Q. ARICINIVS. Q. F. BASSVS
VIXIT. ANN. XXV
Debuit hoc Patri natus: duo corpora humare.
Corpora semianimes corpus inane colunt.
Qui, quia non possunt donis aequare merentem,
Respondere queunt, Basse, tuis meritis.
V. C. CVRTIVS. C. L. ANTIO
CHVS. PATER
Debuit hoc natus nobis praestare duobus,
Ut cineres patrios dederet inferiis.
Sed quoniam dirae genuerunt fata volucres,
Te, Basse, ereptum flevimus ante rogum.
V. ARICINIA. NAIS. MATER (2)

---

(1) Gruter. ad pag. 609. n. 4.

(2) Ad pag. 670. n. 2. Notam V. pro C. Curtio, et A-

XVIII.

COCCEIAE. NICE. DOMITIAE
F. CHRYSAE
VIXIT. ANN. XXIV. M. IIII. D. XXIIII
HERMES. COCCEIVS. BASS
ACT. COIVGI. B. M

Aeternam tibi sedem Hermes, aramque dicavi,
Nice: optassemque (utinam) tua fata, superstes
Ut mihi tu faceres! Sed iniqua sorte, maligna,
Rapta iaces annis, viduata *simul domus omnis.*
Iam tibi lac Cybeles sint, et rosa grata Diones,
Et flores grati Nymphis, et lilia serta.
Sintqe, precor, meritis qui nostra parent tibi dona
Annua, et hic Manes placida tibi nocte quiescant,
Et super in nido Maratonis cantet Aedon (1).

---

ricinia *vivens* interpretator. *Corpora semianimes* intellige parentes, qui semianimes defuncti filii corpori parentant, cum filii potius fuisset, duo corpora, Patris nempe, et Matris, humare.

(1) Gruter. ad pag. 1032. n. 3. Venustissimum porro epigramma, quod nostra commendatione non eget. Verbo τῷ *opto* vides *commutandi* subiectam notionem. Aedonis, Zethi regis uxoris, in carduelem conversae nota fabula. Vers 4. per nos suppletus.

XIX.

ZETHVS. T. VINI
ATRIENS. V. A. XX.

Ossa sub hoc tumulo pia sunt, sed acerba parenti.
Amphio mî frater hoc titulum posuit.
Parcite, fata, meis; valeant Fratresque, Sorores:
Sit tamen in vestro pectore cura mei.

ANTISTIA NICOPOLIS (1)

XX

ATIMETVS. PAMPHILI
TI. CAESARIS. AVG. L.L
ANTEROTIANVS. SIBI. ET.
CLAVDIAE. HOMONOEAE
CONLIBERTAE. ET
CONTVBERNALI

Si pensare animas sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus;
Quantulacunque meae debentur tempora vitae,
Pensarem pro te, Homonoea libens.
At nunc, quod possum, fugiam lucemque, Deosque,
Ut te matura per Styga morte sequar.

---

(1) Apud Fabrett. p. 8. *Atrienses* servi dicebantur, quibus atrii cura demandata erat. *Titulus*, et *titulum* olim dicebatur, ut *collum*, et *collus* Caecilio.

Parce tuam, coniunx, fletu quassare iuventam,
Fataque maerendo sollicitare mea.
Nil prosunt lacrimae, nec possunt fata moveri.
Viximus. Hic omnis exitus unus habet.
Parce. Ita non unquam similem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Qodque mihi eripuit mors immatura iuventae,
Id tibi victuro proroget ulterius.

A sinistro latere.

Tu, qui secura procedis mente, parumper
Siste gradum, quaeso, verbaque pauca lege.
Illa ego, quae claris fueram praelata puellis,
Hoc Homonoea condita sum tumulo.
Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos aetas mea viderat annos,
Iniecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa
Moeror Atimeti coniugis ille mei.
Sit tibi terra levis, mulier dignissima vita,
Quaeque tuis olim perfrueare bonis. (1)

---

(1) Gruter. pag. 607. n. 4. Elegia nomine suo vere digna, omniumque dulcissima, quae desiderari hoc in genere queant. Eius pars triplex. Primam exequitur vir uxorem compellans, illiusque desiderio tabescens per totos integros versus senos. Alteram mulier, quae virum solari studet, faustaque

XXI.

SALLVSTIAE
APHRODITAE
CONSIDIVS. L. F
CONIVGI. BENE
MERENTI. CVM QVA
VIXIT. ANNIS. XXVII
MENSIBVS. VIII. DIEBVS. VI

Quod viva merui, moriens quod et ipsa rogavi,
Coniugis hoc moesti reddidit ecce fides.
Sit licet infernae mortis tristissimus horror,
Me tamen illius credo iacere toris.
Coniugii memor Umbra mei dum testor amores,
Te pie possessor, sive colone, precor:
Ne patiare meis tumulis increscere silvas.
Sic tibi dona Ceres larga det, et Bromius (1).

---

omnia ei adprecando deinde viatorem rogat, ut quae ipsa fuerit, quidve nunc doleat, norit. Tertiam viator ipse mulieri terram levem precans, dignissimamque praedicans, quae bonis omnibus, frueretur. Notent tirones τo *fruor* fuisse olim *frueor*. Sed fortasse legendum *perfruerere*. *Contubernium* potius, quam *coniugium* nuptiae dicebantur Servorum, Libertorumque.

(1) Murator. *Vol. I.* pag. 539. n. 1. Caesurae vis producendi Syllabam tributa ex eo, quod ipsa vocem veluti, spiritumque sistit, quod sine duplici morula stare non potest: eademque de caussa nulla usquam habita ratio syllabae versum claudentis.

XXII

D. M.
FABIAE. PYRALLIDI. OPTIMAE
ET. SANCTAE· PATRONAE
DE. SE. BENEMERIT
ARTEMISIVS. LIBERTVS

Cunctorum haec suboli sedem post morte reliquit,
Ante tamen nato, coniugi et ante suo.
Nondum secura dum flet maestissima mente,
Occidit, et tristes decepit maesta fovendo.
Set nos solliciti, memoresqe, Parentis amore,
Matrem cum nato, coniuge cumque suo
Securos colimus. Memores de nomine nostro,
Et faciet suboles multos memorata per annos
Sacra Deis, Patribusque suis; memoresque priorum,
Et memores nostri, nostrorumque alta propago,
Aeterno servent semper memorabile nomen.
Quisquis es, aut olim nostra de stirpe futurus,
Sis memor antiqui nominis, et tituli.
In quorum titulo hic datur esse locus,
Et domus aeternae tu tueare focos. (1)

---

(1) Gruter. pag. 939. *Us* correptum *domus*, etsi in gignendi casu, quod ne imitentur tirones, monendum. Qua tamen id factum de caussa, declaratum alibi, nec semel, est.

XXIII

FIRMA. EPAPHRODITI
ANN. XXIIII

Firma satis felix, cum me mea vita maneret,
Coniugis obsequio cum pietate fui.
Coniugis illius, quem vix aequare mariti
Adfectu poterunt, aut bonitate pari.
Conlibertorum vultus, animosque meorum
Placatos merui sedulitate mea.
Placatos merui per te magis, omnis ut aetas
Sanguine me iunctam crederet esse tibi.
Qui tecum pia castra sequi consuetus, et ille
Quem lex servitii distrahit a Domino.
Hos omnes tibi pro meritis, qui sidera torquent,
Secum placatos semper habere velint. (1)

XXIIII

FESTO. LABIR. IPRIMIGE. DELIC
Parva sub hoc titulo Festi sunt ossa lapillo,
Quem Afrens fato condidit ipse pater.
Qui si vixisset, Domini iam nomina ferret
AD. DINERES (2).

---

(1) Ex *Mus. Veron.* p. 423. 5.

(2) Murator p. 4. Versum 2. sic recuderem : *Qualem Afrens. Lapillo* pro *lapideo* nunc primum mihi occurrit. Festus, Labirii Primigenii delicium, a quo libertatem, si vixisset, foret assecutus.

XXV

D. M.

IS. CVIVS. PER. CAPITA. VERSORVM. NOMEN.
DECLARATVR. FECIT. SE VIBVS. SIBI. ET.
SVIS. OMNIBVS. LIBERTIS. LIBERTABVS.
POSTERISQVE. EORVM

Liber nunc curis fuerim qui, respice, Lector.
Notus in Urbe Sacra vendenda pelle caprina,
Exhibui merces popularibus usibus aptas;
Rara fides cuius laudata est semper ubique.
Vita beata fuit, struxi mihi marmora, feci
Secure solus semper fiscalia manceps.
In cunctis simplex contractibus, omnibus aequus,
Ut potui; nec non subveni saepe petenti;
Semper honorificus, semper communis amicis.
Maior adhuc stat laudis honor: potior quoque cunctis
Ipse meis, quod constitui tumulamina membris.
Talia qui feci, non tam mihi providus uni,
Heredum quoque cura fuit. Tenet omnia secum,
Re propria quicunque facit. Me fama loquetur
Exemplum laudis. Vixi, dum vita manebat,
Sollicitus multis: requiem feci quoque multis.

L. NERVSIVS. MITHRES (1).

---

(1) Ex Fabrett. pag. 634 n. 290. Qui pro *quo modo*. Roma *Urbs sacra* κατ' ἐξοχὴν. *Honorificus* active sumptus. *Quod constitui tumulamina*, idest: *propter quod*.

XXVI.

V. F.
Q. EGNATIVS
Q. L. BLANDVS
SIBI. ET
MINVCIAE. VRBANAE
VXORI

Pro paupertate, heic summo tibi tempore, Coniunx,
Ut potui, meritis parvola dona dedi.
INNOCENS. VIXIT. ANNOS. XXIIX (1).

XXVII.

Qui dolet interitum, mentem soletur amore.
Tollere mors vitam potuit: post fata superstes
Fama viget. Periit corpus, sed nomen in ore est.
Vivit, laudatur, legitur, celebratur, amatur
Nuncius Augusti, velox pede cursor, ut aura;
Cui Latiae gentis nomen, patriaque Sabinus.
O crudele nefas! tulit hic sine crimine mortem
Damnatus; periit deceptus fraude latronum.
Nil, scelus, egisti. Fama est, quae nescit obire.
POSVIT. FVRIVS (2).

---

(1) Ex Murator. p. 1339. 5. Blandissimum epigramma, innocentiae, simplicitatisque veluti instar

(2) Murator. *Vol.* 11. pag. 903. 3.

XXVIII.

DIS. M.
CLAVDIAE. LEPIDILLAE
EX. PROVINCIA
BELGICA. AMBIANAE
FECERVNT. LIBERI
EIVS. LEPIDVS. ET
TREBELLIVS. MATR
OPTIMAE

Hic matris cineres sola sacravimus ara.
Quae genuit, tellus ossa teget tumulo. (1)

XXI

D. M. S.

Altorio meritam dicat hanc Octavius aram,
Acri homini, atque alacri, forti, fidoque, venusto,
Cui domus Asinius fuerat, cui Quintio nomen.
Hic in flore cubat longum securus in aevum
Post ter vicenos, et tres bene consitus annos. (2)

---

(1) Gruter. pag. 726. n. 1.
(2) *Inscript.* Don. *Cl.* XVIII. p. 459. n. 10.

XXX.

THETIS. EADEM
BYRGAENA
ITALICI. CORSICI
AVG. L. CON. CAR. ANN
XXVI. ET. PERINTHIO
FIL. ANN. XII. H. S. S
Si fortuna suos potuisset flectere Manes,
Hunc titulum Patri ponere debueram.
ITALICVS. SIBI. ET
SVIS. V. F (1)

XXI

VALERIA. Ɔ. L. LYCISCA
XII. ANNORVM. NATA
ROMAM. VENI
Quae mihi iura dedit Civis, dedit et mihi vivae,
Quo inferrer, tum cum parvola facta cinis. (2)

---

(1) Maffei *Antiq. Gall. Ep.* 26. *Thetis*, eadem *Byrgaena*; nota formula ad designandum duplex personae nomen.

(2) Ex *Mus. Veron.* pag. 295. 4. Libertae Patrona post libertatem sepulcri locum dat.

XXXIII.

C. IVLIVS. C. L. ANTIOCHVS
VERATIA. C. L. ELEVTHERIS
Seic florem aetatis tenuit Veratia caste,
Nulla ut perciperet gaudia dedecoris.
Coniuge namque uno vixit contenta, probato,
Caetera digna bonis femina facta tulit.
VERATIA. C. L. SALVIA (1).

XXXIV.

PVLVINIE. VALLEIE
FILIOLE. DVLCISS
PARENTES. MESTISS
Decipimur votis, et tempore fallimur; et mors
Deridet curas. Anxia vita nihil (2).

XXXV.

T. HELIVS. HOSPES. HIC. SITVS. EST
MEVAN. NAT. VIXIT. AN. XII. M. V. D. II.
Sine crimine vitae.
Florentes annos subito nox abtulit atra.
Vivite felices, moneo: mors omnibus instat.
T. AELIVS. PRIMITIVVS. F. PIENTISS (1)

---

(1) Don. Cl. XII. pag. 398.

(2) Ex Famil. Marmor. Borbonicorum, Fabrettio, aliisque notum.

(3) Gruter. ad pag. 686. n. 8.

XXXVI.

HATERIA. TELETE. VIXIT. ANN. XXVII
Tu Pater, et Mater, lacrumis retineto dolorem:
Nam fato raptam non potes eripere. (1)

XXXVII.

M. AEMILIVS. M. F. IANVARIVS
CATILIAE. MARCIANAE. COIVGI
INCOMPARABILI. DVLCISSIMAE
PIENTISSIMAE. CASTISSIMAE
QVAE. VIX. ANN. XXXII. MENS. VI
DIEB. V. ET. CVM. QVA. VIXIT. ANNIS
XIII. CVM. MAGNA. DVLCITVDINE
SOMNO. AETERNALI. SACRVM
FECER. ET. FIL. M. AEMILIVS
MARCIANVS. ET. AEMILIA. INGENVA
QVAE. ET. MARCIANE. MATRI
PIENTISSIMAE. DVLCISSIMAE
SANCTISSIMAE
OΥXI. TEKOVΣA. OVΔEIΣ. AΘANAΘOΣ
SOMNO. AETERNALI. SACRVM
FECERVNT. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQVE. EORVM
Invide, quid gaudes? illa hic mihi mortua vivet,
Illa meis oculis aurea semper erit.

---

(1) Idem ad pag. eamd. n. 4.

ET. Q. Q. MVCI. EVTACTI. ET. IVLIANI. LIB. LIBER.
TABVSQ. POSTERISQVE. EORVM (1)

XXXVIII

Liberta, et Coniux Petronia, cara Patrono,
Thallusa hoc tumulo condita luce caret.
Quae bis vicenos complerat lucibus annos,
Erepta est subito coniugis e gremio.
Hanc sic adsidue deflet Petronius, ut iam
Deficiant oculos lumina cara suos.
Desine per terras infernas tendere ad arces:
Fata eadem dederant, fata eademque negant (2).

XXXIX.

Siste gradum, fugiat quamvis brevis hora, viator;
Sic fati nullus te dolor exanimet.
Lesbia, quam tulerat tellus pulcherrima Tarsis,
Indicio sit amor totius Hesperiae.
Quam ereptam terris pia numina subtraxerunt,
Hanc sibi sola domum corporis constituit (3).

---

(1) Gruter. ad pag. 752. n. 3. *Mucii* duo cum praenomine communi *Quinti*, quorum alteri *Eutacti*, alteri *Iuliani* cognomen contigit.

(2) Ex *Collect. Pisaur.* pag. 473.

(3) Gruter. ad pag. 917. n. 4.

XL.

RVSTICELLA. M. L. CYTHERIS
DEBITVM. REDDIDIT. X. K. SEPT
MALVGINENS. ET. BLAESO. COS

Quandocunque levis tellus mea conteget ossa;
Incisum et duro nomen erit lapide.
Quod si forte tibi fatorum cura meorum;
Ne grave sit, tumulum visere saepe meum.
Et qicunque tuis humor labetur ocellis,
Protinus inde meos defluat in cineres.
Quid lacrumis opus est, *quidve*, o carissime Coniux,
Extinctos cineres sollicitare meos?
Una domus cunctis, nec fugienda, viris,
Et quae volvuntur tempore, tempus habet.
Nondum annos bis vicenos compleverat annus,
Extremum Parcae sorte dedere mihi. (1)

XLI.

M. HELVIVS. M. L. MAR.
SYA. ANN. LX. MALLIA. N.
LIB. GALLA. AV. VXOR. ANN. XXXXI.
H. S. S. S. V. T. L.

(1) Gruter. pag. 992. n. 3. De veterum consuetudine ad suorum sepulcra statis diebus lacrimandi, res per se nota, et in Veter. inscript. passim obvians. Bigam hanc Consularem Gruterianae inscript. innixus ciet Ameloveen ad an. 649. post Coss. Cn. Mallium Maxim. et P. Rutilium Rufum. Fortasse *Suffecti.*

Tu qui carpis iter gressu properante, Viator,
Siste gradum, quaeso: quod peto, parva mora est.
Oro, ut
Praeteriens dicas: sit tibi terra levis (1).

XLII.

DIIS. MANIBVS. SACRVM
PHOEBO. LIBERTO. OPTVMO
M. GELLIVS. ABASCANTVS

Hic situs est, caeli quondam pars maxima, Phoebus:
Adfectus omnes possidet ille lapis.
Vix consummavit septem quinquennia lustri,
Oscula ferventem nec tenuere animam.
Quod si mutari potuissent fata Sororum,
Gauderet condi Gellius hoc tumulo. (2)

XLIII.

O utinam vivo potuissem praemia morum
Reddere! nunc lacrimas accipe pro meritis.
Nam semper, fateor, tacita te mente probavi:
Detexit sensus ultima flamma meos.

---

(1) Fleetvvod pag. 315. Initiales inversae feminarum praenomina designant, unde Ɯ. *Marca* est. H. S. S. S. V. T. L. *Hic siti sunt. Sit vobis terra levis.*

(2) Gruter. ad pag. 950. n. 10.

Tu columen, rerum semper tu cura mearum,
Nunç eris et luctus tu quoque caussa mei.
Ossibus infundam, quae nunquam vina bibisti.

DIIS. MANIBVS
ONESIMI. ANICETVS. CARISSIMO. FECIT. DOMINO (1)

XLIV.

D. M.
IVLIA. PROCILLA. VIX. AN. XIX
AMARANTHVS. CAESARIS
AEDITVVS. AB. CONCORDIA. CONIVGI
BENEMERITAE. POSVIT

Hunc tibi perpetuo titulum, carissima Conjux,
Corporis extincti dedicat ipsa fides.
Vixisti mecum iuvenis, carosque per annos,
Quos vita exegi dulciter ipse mea.
Opto, si qua fides remanet telluris amicae,
Sit tibi perpetuo Terra levis tumulo (2).

XLV.

Vixisses utinam, et potius mea Musa taceret,
Quam mihi scribendi caussa, Latina, fores.

---

(1) Idem ad pag. 948. n. 10. Nota veterum consuetudo defunctorum ossa vino perfundendi.

(2) Pet. Apian. pag. 236. *Amaranthus*, Aedituus templi *Concordiae*.

Vixisses! neu te surgentem in vota tuorum
    Adspicerem addictam Manibus ire sacreis.
Sed quoniam Parcis vetitum est nihil, accipe nostri
    Aeternas eheu! carminis exequias (1).

XLVI.

C. RVBRIVS. VRBANVS. SIBI. ET. ANTONIAE
DOMESTICAE. CONIVGI. SVAE. ET. CN. DOMITIO
VRBICO. RVBRIANO. FILIO. SVO. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
ET. M. ANTONIO. DAPHNO. FECIT

Qui dum vita datast, semper vivebat avarus
    Heredi parcens, invidus ipse sibi.
Hic accumbentem scalpi genialiter arte
    Se iussit docta post sua fata manu.
Ut saltem recubans in morte quiescere posset,
    Securaque iacens ille quiete frui.
Filius a dextra residet, qui castra secutus
    Occidit ante Patris funera moesta sui.
Sed quid defunctis prodest genialis imago?
    Hoc potius ritu vivere debuerant (2).

---

(1) Gruter. pag. 843. n. 2. Optimis accensendum sine controversia Epigramma.

(2) Ad pag. 823. n. 2. Patris, et Filii sordidam avaritiam vates insectatur, quorum hic militiam secutus est, ille post obitum statuam sibi elegantissimam poni curavit. Melius quippe sibi consuluisset uterque, si cum aliquo sui emolumento sibi vivo parasset, quod post obitum stulte procurat.

XLVII.

IVCVNDVS. LIVIAE. DRVSI. CAESARIS
F. GRYPHI. ET. VITALIS

In quartum surgens comprensus deprimor annum,
Cum possem Matri dulcis, et esse Patri.
Eripuit me saga manus, crudelis ubique,
Cum manet in terris, et nocet arte sua.
Vos vestros natos concustodite, Parentes,
Ne dolor in toto pectore fixus eat. (1)

XLVIII.

D. M
RVBRIAE TERTVLLIAE
V. A. XX. M. D. IIII
CONIVGI. OPTIMAE
C. REFANIVS. MACRINVS

Livia me tellus genuit, geminamque Sororem,
Egregio de patre satam, sancta genitrice.
Kara fui casto bene iuncta pudica marito.
Invida sed fati lex reddidit irrita vota.
Et tantum miserae solatia liquit amanti,
Coniugis in manibus licuit quod reddere vitam (2).

---

(1) Mus. Veron. P. 170. I. Saga in adiectivi potestatem adhibita.

(2) Gruter. ad pag. 923. n. I.

XLIX.

C. POBLICIVS. C. L. AM . . .
RVSTIA. C. L . . . .
T. CLAVDIVS. FAVSTVS. VI. VIR
Tempore supremo, Fauste, est tibi cura videndi.
Si perlegisti, venias licet, et requiescas.
Annuis, an renuis? Frustra.
Haec domus, haec requies omnibus una manet.
Huc veniendum, inquam (1).

L.

Hic Puer octavo fraudatus clauditur anno,
Impia quem fati saeva ruina premit.
Nomen erat Clemens, minime laedendus; et annis
Spes erat in puero. Nunc cinis, et gemitus (2).

---

(1) Apud Fabrett. pag. 34. n. 170.

(2) Gruter. ad pag. 627. n. 8. Clemens videtur casu quopiam inopinato ruina oppressus.

LI.

D. M
SIMPHERVSAE
PRISCILLAE
VETTIA. MEGISTE. ET
M. VETTIVS. ONESIMVS
ALVMNAE. DVLCISS. F
VIX. ANN. I. MENS. XI
DIES. XX. HOR. III

Nata, set in lacrumis solum. Dolor omnibus instat.
Hic sita sum. Vixi tempus inane meum.
Annus erat vitae primus : mox deinde secundi
Liminibus rapuit me sibi Persephone (1).

LII.

D. M.
MARCIANAE. C. F. VERNAE. T. CASSIVS.
LYSIMACHVS. CONIVGI •
SANCTISSIMAE. ET. SIBI. VIVOS. POSVIT

Ver tibi contribuat sua munera, florea, grata,
Et tibi grata comis nutet aestiva voluptas,
Reddat et autumnus Bacchi tibi munera semper,
Ac leve hiberni tempus tellure dicetur (2).

---

(1) Id. Ad pag. 659. n. 7. *Set* pro *sed*.
(2) Fleetvood. pag. 285.

LIII.

Si non fatorum constantia iura fuissent,
Mater in hoc tumulo debuit ante legi.
Quae rogat, ut dicas motus fatalibus annis,
Terra sit haec Petalo non onerosa, precor (1).

LIV.

D. M
LABERIAE. ALEXAN
DRIAE. QVAE. VIX. AN. X
M. V. D. VII. ET. SILVANO
Q. V. A. VI. M. V. D. XIII.

Hoc in Sarcophago genitrix duo corpora, natos,
Condidit infelix. Semper subitura dolore,
Quos superat, vivet, vitamque miserrima ducet,
Coniuge praerepto, Genitor, quibus ipse misellis,
Et sibi condiderat vivens commune sepulcrum (2).

LV.

PYLADES. ANNI. NOVATI. PATRIS. H. S. E
Subductum primae Pyladen haec ara iuventae
Indicat, exemplum non leve amicitae.

---

(1) Murator. *Vol.* II. pag. 1199.

(2) Gorius in *Don. Inscrip.* Cl. X. pag. 354. n. 2. *Semper subitura dolore*, idest, quae numquam sine dolore recolat natorum fatum infelix.

Namque sodalitii sacravit turba futurum
Nominis indicium, nec minus officii.
Dicite, qui legitis, subito, de more, sepulto:
Pro meritis, Pylades, sit tibi Terra levis (1).

LVI.

D. M
CAMILLVS. AQVILIVS. SE. VIVO. SCRIBI. IVSSIT. SIC
NON. FVI. DEINDE. FVI. MODO. NON. SVM
Aspice, quam subito, quod floruit ante:
Aspice, quam subito cecidit, quod stetit ante, cadit.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
Illa eadem, vitam quae inchoat, hora rapit (2).

LVII.

L. TRVPPICVS. T. F. PAPIRIA. T. F. TERTIA
Cernis, ut orba meis, hospes, monumenta locavi,
Et tristis senior natas miseranda requiro!
Exemplis referenda mea est deserta senectus,
Ut steriles vere possint gaudere maritae.
T. TRVPPICVS. T. F. F (3).

---

(1) Murator. Vol. 1. pag. ult. Laus Pyladis huius ex Pylade illo praeconcepta, qui notissimum amicitiae exemplar extitit.

(2) Ferrett. pag. 307.

(3) Ibidem pag. 121.

LVIII.

Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero stricti solvere vincla pedis.
Dirus et ante thorum nuper, quo nupta coivi,
Quo cecidit nostrae virginitatis honos.
Non culpa merui, praesentia numina testor,
Sed iaceo fati sorte peremta mei.
Discite ab exemplo Crispinae, discite, Patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro (1).

LIX.

Connubii decus egregium, lux alma parentum,
Eximiumque bonum corporis, atque animi;
Invidia fati rapitur Vincentia florens,
Et nunc ante patrem conditur Helyonem:
Quin potius corpus. Nam mens aeterna profecto,
Pro meritis, potitur sedibus Elysiis (2).

LX.

Laevitiae coniux Petronia, forma pudoris,
His mea discedens sedibus ossa loco.

---

(1) Fabrett. pag. 799. n. 209.
(2) Gudius pag. 247.

Parcite vos lacrimis, dulces cum coniuge nati,
Viventemque Deo, credite, flere nefas (1).

LXI.

L. PETRONIVS. L. F. PRIMVS
HIC. SITVS. EST

Uxor cara viro monumentum fecit amanti.
Optaram in manibus coniugis occidere.
Quem, quia fata nimis rapuerunt tempore iniquo,
Ossibus, opto, tuis sit pia terra levis.

LXII.

Meia fui felix, septem circumdata natis.
Dum vixi, adstabat turba tenella mihi.
Ut mihi grata vicem natorum turba referret,
Hoc mihi de Pario marmore struxit opus;
Manibus atque meis nati pia vota dedere,
Persolvere meis Manibus inferias.
Postquam nulla mei, Superi, vos cura fatigat,
Natorum memores este, precor, Superi (2).

---

(1) Rosin. *Antiqu. Rom.* pag. III. 3. Christiani omnino saporis epigramma.

(2) Murator. *Vol. III.* pag. 1264. II.

LXIII.

R. FESTVS. V. C. DE. SE. AD. DEAM. NORTIAM
Festus, Musoni suboles, prolesque Avieni,
Unde tui latices traxerunt, Caesia, nomen;
Nortia, te veneror lare cretus Vulsiniensi,
Romam habitans, gemino Proconsulis auctus honore,
Carmina multa serens, vitam insons, integer aevum.
Coniugio laetus Placidae, numeroque frequenti
Natorum exultans. Vivax et spiritus ollis.
Cetera composita fatorum lege trahuntur.
SANCTO. PATRI. FILIVS. PLACIDVS
Iamque venis: tendit dextras chorus inde Deorum.
Ex toto tibi iam plauditur ecce polo (1).

LXIV.

Vester, ego, Insubres, iaceo hic sub marmore; vester
Laevinus Lyciae gloria gentis eram.
Quid mihi honos, quid opes? virtus me sola beavit,
Qua mortalibus, et Caelicolis placui;
Quae fuit in terris vestri mihi caussa salutis,
In Superis eadem nunc quoque cura mihi est (2).

---

(1) Fabrett. pag. 742. n. 507. Fortasse R. ut est in Fabret. in P. commutanda, ut inde Musonii Festi praenomen emergat.

(2) Murator. *Vol. II.* pag. 692. 3.

LXV.

. . . .

PVBLII. AELII. VLPII. . . .

Hanc sedem longo placuit sacrare labori;
Hanc requiem, fessos tandem quae conderet artus.
Ulpius, emeritis longaevi muneris annis
Ipse suo curam titulo dedit, ipse sepulcri
Arbiter, hospitium membris, fatoque paravit (1).

LXVI.

Accipe supremos, queis te donamus, honores,
Care Macre, et longum me cariture, vale.
Felix, qui commune malum, nec tanta videbis
Funera, quae nostra Barbarus in patria
Patrabit! Felix, tribuit cui Roma sepulcrum,
Cui tot amicorum iusta dedere manus!
Te Graecae, Latiaeque simul flevere Camoenae,
Et Medicina tuo maesta sedet tumulo (2).

LXVII.

L. SABINVS. L. L. PRIMIGENIVS

Ortus ab Iguvio, Medicus, fora multa secutus,
Arte feror nota, nobiliore fide.

---

(1) *Mus. Veron.* pag. 250. 7. 66.
(2) Ex Bonada *Vol. I.* pag. 428.

Me consurgentem valida Fortuna iuventa
Destituit, rapidis imposuitque rogis.
Clusino cineres flammae cessere sepulcro,
Patronus patrio condidit ossa solo (1).

LXVIII.

D. M
ANNIAE
AGATHONICES

Vita brevis longo melior mortalibus aevo,
Nam parvo spatio floruit haec anima.
Bis denos perfuncta annos, sine crimine morum,
Vita beata fuit, spiritus hic nituit.
At Patrum miseranda aetas anima cruciatur,
Poenaque de longo tempore longa data est.
De senio luctus, senium fletu renovatur,
Utraque res mortis tristior exitio.
Dat tamen haec patronae pietas solamina fidae,
Iugera quot terrae dedicat hic tumulus (2).

---

(1) Ex Ferret. pag. 302. Nimirum Sabinus Clusiis crematus; sed patrono curante, ossa Iguvii condita.

(2) Apian. *Inscript.* vetust. pag. 88. Placuit afferre ob secundam syllabam correptam ad vocem *Patrona*, quod non semel in vetustis marmoribus occurrit.

LXIX.

Qui colitis Cybelen, et qui Phryga plangitis Attin,
    Dum vacat, et tacita Dyndima nocte silent;
Flete meos cineres. Non est alienus in illis
    Hector, et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego, qui magni parvus cognominis heres
    Corpore in exiguo res numerosa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palestra,
    Ferre iocos, astu fallere, nosse fidem.
At tibi dent Superi quantum, Domitilla, mereris,
    Quae facis, exigua ne iaceamus humo (1).

LXX.

Musica cum cantu resonares carmina, mire
    Adtas, parve puer, dulci celebratus amore,
    Morte gravi raptus taetra defungeris hora
    Immeritus, decimo praegressus nobilis anno.
    Set te noster amor memori pietate reformat.
    At quamvis te terra tegat miserabilis ima,
    Sic dolor in parvo crescit, referente sepulcro.
Q. BVCVSVS. CRESCENS. ET. MINDIA. FORTV
NATA. ALVMNO. BENE. MERENTI. FECER
FILIO. MARTIALIS (1)

---

(1) Gruter. ad pag. 655. n. 3.

(1) Gruter. pag. 658. n. 10. Pro *Adtas* quidam legunt *Adstas*. Verius puto *Adtas*, pueri, ut videtur, nomen.

LXXI.

MEMORIAE. M. LVCCEI. M. F. NEPOTIS.
SEX. ONVSI·
ANIVS. . . . .

Quum praematura raptum mihi morte nepotem
Flerem, Parcarum putria fila querens;
Et gemerem tristi damnatam morte iuventam,
Versaretque novus viscera tota dolor:
Me desolatum, me desertum, ac spoliatum
Clamarem largis saxa movens lacrimis:
Exacta prope nocte, suos cum Lucifer ignes
Spargeret, et volucri roscidus iret equo;
Vidi sidereo radiantem lumine formam
Aethere delabi; non fuit illa quies;
Sed verus Juveni color, et sonus, et status: ipsi
Major erat nota corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes, humerosque nitentes
Ostendens, roseo reddidit ore sonos:
Adfinis memorande, quid o me ad sidera caeli
Ablatum quereris? desine flere Deum;
Ut pietas ignara superna sede locatum
Lugeat, et laedat lumina tristitia.
Non ego Tartareas penetrabo tristis ad Umbras,
Non Acherontaeis transvehar Umbra vadis.
Non ego caeruleam remo pulsabo carinam,
Nec te terribilem fronte timebo, Charon.
Nec Minos mihi iura dabit grandaevus, et atris
Non errabo locis, nec cohibebor aquis.

Surge, refer matri, ne me noctesque, diesque
    Defleat, ut moerens Attica Mater Jtyn.
Nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
    Jussit, et in Caeli lucida templa tulit.
Erigor, et gelidos horror perfuderat artus,
    Spirabat suavi tinctus odore locus.
Die nepos, seu tu turba stipatus Amorum
    Laetus Adonaeis lusibus insereris.
Seu grege Pieridum gaudes, *divisque Camoenis*,
    Omnis Caelicolum te *chorus insequitur.*
Si libeat thyrsum gravidis on*erare corymbis*,
    Et velare comam palmite, *Liber eris.*
Pascere si crinem, et lauro redimi*tus ovante*
    Arcum cum pharetra sumere, Phoebus eris.
Indueris teretes manicas, Phrygiam*que tiaram*?
    Non unus Cybeles pectore vivet Atys.
Si spumantis equi libeat quatere ora *lupatis*,
    Cyllare, formosi membra vehes *equitis*,
Sed quicumque Deus, quicumque vocaberis heros,
    Sic soror, et Mater, sic Pater incolu*mis.*
Haec dona unguentis, et sunt potiora *corollis*,
    Quae non tempus edax, non rapit ira Jovis (1).

---

(1) Refert Gruter. ad pag. 1123. n. 7. At nos, qualis in Fabrettio habetur cum supplementis, quae indicant literae currentes, retulimus; sed pro *dic Nepos*, recudimus: *Die Nepos.* Ad carminis autem totius quod attinet iudicium, aut ego fallor, aut in eo integros Catullos, solidosque Propertios cernere est.

LXXII.

D. M

Quid sibi volt, quaeris, tellus congesta, Viator:
Ossibus hic uxor miscuit ossa meis. EVPHROSYNE
Nobilis Euphrosyne, facilis, formosa puella,
Docta, opulenta, pia, casta, pudica, proba.
Fortunam mirare meam? verum exitus hic est:
Omnia mecum uno hoc composui tumulo.
I nunc, et quicquam votis melioribus opta!
Absumet tecum singula sarcophagus. PARAGMIO
HERMODORO. PARAGMIO. ET. L
EVPHROSYNE· PRAETORIS
PARAGMIAE. LIB. CARISSIMIS NOMENCLATOR
HERMODORVS. PRAETORIS.
NOMENCVLATOR. POSVIT·
H. M. H. N. S (1)

LXXIII

DEPOS. VI. KAL. APriles. . .
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt, combexa Polus dum sidera pascet,
Semper amor, nomenque tuum, laudesque manebunt,

---

(1) Fabrett. pag. 200. n. 490. Praetoris nomenclator ille dicebatur, cui munus eorum nomina ciere, quos Praetor iusserat.

O dulcis coniux teneris erepta sub annis.
Extinxisti hic meque simul, Matremque, Patremque.
FL. PAREGORIVS. INIMITABILI. CONIVGI.
FECIT (1)

LXXIV.

D. M

Iniice, si pietas usquam est, suspiria, et imple
Mecum, hospes, lacrimis marmoris hoc vacuum.
Nam formae exemplum periit, cum obiit mea Ly
Quam periere homines, vel periere Dii (2).

LXXV.

D. M. S

Sum castae cinerum lapis Puellae
Custos. Me relegens pius Viator,
Huius cognita si tibi fuisset
Virtus, lacrimulis tuis rigares.
EVODIAE. CYPARAE. ANN. VI (3)

---

(1) Idem ad pag. 191. n. 445. Marmor fortasse Christianum.
(2) Fabrett. pag. 64. num. 3.
(3) Idem num. 2.

LXXVI.

RHANIDI. SVLPICIAE. L
DELICIO

Nata brevi spatio, partu subiecta nec ante,
Testatur busto tristia fata Rhanos.
Namque bis octonos nondum compleverat annos,
Et rapta est vitae, rapta puerperio.
Praesentis tumulus duo funera, corpore in uno
Exequias geminas nunc cinis unus habet.

SVLPICIA. TRIONIS. L
RHANIS (1)

LXXII.

M. ANNIDIVS. M. L. PONTICVS. SIBI. ET. SABIDI

Docta lyra, grata, et gestu formosa puella
Hic iacet aeterna Sabis humata domu.
Caius fatales pensare optaverat annos
Pontius, huic coniux ultima dona dedit:
Hunc titulum, socios Manes, commune sepulcrum
. . . .

---

(1) Idem ad pag. 44. num. 251. Rhanis, sextodecimo aetatis anno nondum expleto, puerperio obiit, antequam in lucem prolem suam edidisset: idcirco dicitur *nec ante partu*, idest, partui, *subiecta*.

(2) Idem ad pag. 80. num. 96.

LXXVIII.

Hic iacet Aquillius fatis extinctus iniquis,
Egregius iuvenis, causarum Orator honestus.
QVI. VIXIT. ANNIS. XXX (1)

LXXIX.

DVO. IVVAN. LVPI. ET. APRI
Una Iuvaneiae Domus hos produxit alumnos,
Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors pariter rapuit, quos iunxerat ante,
Et duplices luctus sic periniqua dedit (2).

LXXX.

D. M
Caesius Aequidicus iam centum clauserat annos,
Felices annos ! tot tulit una dies.
P. P. (3)

---

(1) Gruter. ad pag. 652 num. 3.

(2) Idem ad pag. 658. num. 8. *Juvaneii* duo, Lupus, et Aper.

(3) Idem ad pag. 904. num. 9.

LXXXI.

Sic tibi praeterito redeat felicior annus,
O Caper, et facili vita regatur ope.
Nec durae mortis sacratos laedere Manes,
Esse monent leges, et levis umbra rogi (1).

LXXXII.

Q. CETRONIVS. Q. F. FAB. PASSER
MIL. COH. IIII. PR. ANNIS. XVIII. MISSVS
DVOBVS. GENITIS. SIBI. ET
MASVRIAE. M. F. MARCELLAE
Vixi, quod volui, semper bene, pauper, honeste,
Fraudavi nullum, quod juvat ossa mea (2).

LXXXIII.

Ablatus mihi Crispus est, Amici,
Pro quo si pretium dari liceret,
Nostros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit
Crispus, praesidium meum, voluptas,
Pectus, deliciae. Nihil sine illo

---

(1) Idem. ad pag. 905. num. 12.

(2) Ferrett. *Mus. Lapid.* L. IV. Mem. XXXIV. Cetronius a stipendiis octodecim militiae vacationem assecutus est, idque verbum *missus* innuit.

Laetum mens mea iam putabit esse.
Consumptus, male debilisque vivam.
Plusquam dimidium mei recessit (1).

LXXXIV.

NICAGORAS. IOVI

Hocce Jovi clypei fragmen, gestamina laevae,
Aerea, bellator Nicagoras posuit.
Quidquid abest, nimbus telorum, et saxea grando
Discussum, atque enses vulnifici abstulerunt.
Qualiscunque tamen, servavit meque, mihique est
Semper servatus millibus in mediis.
Umbo, quem quisquis cernet, sancita videbit
Spartae scita, hosti quae dare terga vetat (2).

LXXXV.

Venerat Eoum quatiens Antonius orbem,
Et coniuncta suis Parthica bella gerens;
Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo,
Hinc Capitolino sistra minata Jovi:
Hinc invicta Deo fidebat Caesare Roma,
Quae tunc paene suo pondere lapsa fuit.

---

(1) Idem pag. 459.
(2) Paulli Silent. *Anth.* L. 6. c. 25. n. 6. Refer. ad sacras.

Deserta est Tellus, Classis contexerat aequor,
  Omnia permisti plena furoris erant.
Fratribus heu! fratres, patribus concurrere natos,
  Impia sors belli, fataque saeva iubent.
Hic generum, socerumque petit, minimeque cruentus
  Qui fuit, hic sparsus sanguine civis erit.
Maevius a castris miles melioribus ausus
  Hostilem saltu praecipitare ratem.
In damnum felix, et victor, ut impius esset,
  Nescius, occiso Fratre, superbus erat.
Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit,
  Fraternos vultus, oraque maesta videt.
Quod fuerat virtus, factum est scelus: haeret in hoste
  Miles, et e manibus mittere tela timet.
Ille ferox: quid, lenta manus, nunc denique cesses?
  Iustius hoste tibi, qui moriatur, adest.
Fraternam res nulla potest defendere caedem:
  Mors tua sola potest: morte levanda tua est.
Scilicet ad patrios referens spolia ampla Penates,
  Ad Patrem victor non potes ire tuum.
Sed potes ad Fratrem. Nunc fortiter utere telo:
  Impius hoc telo es: hoc potes esse pius.
Vivere sic poteris? potuisti occidere Fratrem?
  Nescisti: sed scis. Haec mora culpa tua est.
Viximus adversis, iaceamus partibus iisdem.
  Dixit: et in dubio est, utrius ense cadat.
Ense meo moriar maculatus caede nefanda?
  Cui moreris, ferrum, quo moriare, dabit.

Dixit, et in Fratrem fraterno concidit ense;
Victorem, et victum condidit una manus.
Siccine componis populos, fortuna, furentes,
Ut vinci levius, vincere sit gravius?
Occisum credens gaudebat Maevius hostem,
Infelix! fratris sanguine laetus erat.
Nec licuit non nosse scelus; dum membra cruenta
Nudat, in exuvias incidit ipse suas.
Et scelus, et fratrem pariter cognovit; et amens,
Hoc ago, ait, maius nunc tibi restat opus.
Vincere victorem debes, defendere fratrem.
Cessas? ad facinus quam modo fortis eras!
Terram, iura, Deos, bellum iam polluit ipsum.
Quod civile fuit, fit quoque culpa gravis.
His manibus patriae tu iam pia signa requiris,
Miles, in Antoni dignior ire rates?
Eripuit virtus pietatem: reddere virtus
Debet. Qua rapuit, hac reparanda via est.
Quid moror absolvi? dixit: gladioque cruento
Incubuit, iungens Fratris ad ora sua.
Sic, Fortuna, regas semper civilia bella,
Ut victor victo non superesse velit (1).

LXXXVI.

Suetrius Hermes hic situs est, cui Tertia coniux
Aram constituit digno, meritoque marito.

---

(1) Ex *Collect. Pisaur.* pag. 449. ex Burmanno.

Cum quo concordem vitam, multosque per annos
Vixit, et heu! tenero casu subtracta marito est!
De cuius fama multi cum laude loquuntur,
Quod fuerit cultor Domini, rerumque et amator.
Tu, qui transis, dic: sit tibi terra levis (1).

LXXXVII.

D. M. S.

Si quis forte *legens* titulum, nomenve requirit,
Dorchadis inveniet ossa sepulta loco.
Dum vixi, fui cara viro: nunc mortua quaeror.
Set felix videor, si modo fama manet.
CONIVX. THYMELICVS.
CONIVGI. FECIT. SVAE (2).

LXXXVIII.

D. M.

TERENTIAE. P. F. ASIATICAE
P. TERENTIVS. QVIETVS. ALVMN
Hic iacet exanimum dilectae corpus alumnae,
Quam Parcae insontem merserunt funere acerbo.
Nondum etenim vitae decimum compleverat annum,

---

(1) Ibidem ad pag. 474.

(2) Marin. *Iscriz. Alban.* Cl. IV. pag. 109. Not. synaeresin ad vocem *fui*, vel syncopen potius vocalis *u*, nam *suei* erat, quod post *sui* scriptum.

Et mihi crudeles tristem fecere senectam.
Namque ego te semper, mea alumna Asiatica, quaeram,
Adsidueque tuos voltus fingam mihi moerens,
Et solamen erit, quod te iam iamque videbo,
Cum vita functus iungar tis Umbra figuris (1).

LXXXIX.

Hic sum Bassa sita, pia Filia, Virgo pudica,
Excedens cunctas ingenio aequales.
Cum mihi bis quinos annos mea fata dedissent,
Undecumum me non licuit perducere annum;
Cumque Pater, Materque Deos pro me adularent,
At saevos Pluto rapuit me ad infera templa.
Opside me, Parcae finem fecisse videntur,
Cum ante alios, vernas tres rapuere mihi.
Si quis forte mea gaudet de morte iniqua,
Huic sit iniqua Ceres, perficiatque fame.
CAECINIAE. S. F. BASSAE (2).

---

(1) Idem ad pag. 127. *Tis* pro *tuis*, sequente vocalem priorem absorbente, cum contractio in una, eademque voce obtineat; vel magis de sincope cogita ad literam *u* sic *sos* pro *suos*, et caetera porro horum similia.

(2) Ex *Mus. Veron.* pag. 258. 2. Remotioris vetustatis, libertatisque poeticae characteribus insignitum epigramma. Quod primus pentameter in spondaeum desinere videtur, recolantur, quae hac de re dicta alio loco sunt. Secunda in *adulo* correpta, multato altero *u* ab *uu*, a quo imitando sibi temperent tirones. *Opside* pro *obside*.

XC.

VOLVMNIAE. ISIACAE

Ossa sub hac lapidum felicia mole quiescunt:
Sacra animam innuptae virginis aula tenet (1).

XCI.

D. M.

Nomine, quo Genitor mihi dicitur, hoc ego vixi
Telephus est genitor, Telephus ipse fui.
Augustina Parens quarto me flebilis anno,
Ter decimoque die perdidit orba satum.
Non igitur, lector, lacrimas? decepit utrosque
Maxima mendacis fama Mathematici.

TELEFHI. DVLCITI (2).

XCII.

Heu crudele nimis fatum! dua funera maerens.
Plango vir, et genitor flebile mersa Deo.
Sat fuerat, Porthmneu, cumba vexsisse maritam,
Abreptamque mihi sede iacere tua.
Adiecit Chloto iteratum rumpere filum,
Ut natum raperet tristis, ut ante, mihi!
Me decuit morti prius occubuisse supremae,
Tuque mibi tales, Nate, dare obsequias.
Ad tu ne propera, simili qui sorte teneris,
Tute annos titulo nomina ut ipse legas.

---

(1) Murator. pag. 1767.

(2) Fleetvood *Syllog*. pag. 268.

Illa bis undenos vixit, natus quoque senos:
Nomen huic Prorus, huic quide' Athenaidis.
Quas ego, quas Genitor pro te dabo, Nate, querellas,
Raptum quem stygio detinet unda lacu?
Quam bene bis senos florebas, nate, per annos,
Credebamque Deis vota placere mea.
Stamina ruperunt subito tua candida Parcae,
Abstuleruntque simul vota, precesque mihi.
Cum te, Nate, fleo, planctus dabit Attica Aedo,
Atque comes lacrimis veniet pro coniuge Siren,
Semper ut Alcyona flebit te voce suprema,
Et tristis mecum resonabit carmen et echo,
Oebaliusque dabit mecum tibi murmura cycnus (1).

XCII.

MVRRAE. ET. VERECUNDO. MVRRANI. FILIS.
Qui legis, has pueri moribundas perlege voces,
Et lacrimam fatis da, gemitumque meis.
Murra Patris primum referens e nomine Patrem
Amborum effigiem, matre favente, tulit.
Bis mihi septenos aetas ostenderat annos,
Certaque iam nostri fama pudoris erat.

---

(1) Fabrett. pag. 702. n. 235. *Cumba* pro cymba. Ad vers. 10. pro *dunc* recudimus *tute*, vel si mavis *hoc*. Pro *et comes* dedimus *atque comes*. Non bene se animatum in carminis auctorem Bonada praebet, quem et garrulitatis insimulat, et de tacito Filii nomine reum agit.

Cum subitae *mortis*, proh! fallax caussa fuisti
Lusus, et aequalis non inimica manus.
Nam temere emissus, non ad mea funera, clavus
Haesit, et in tenero vertice delituit.
Vos tanto primum perculsi vulnere, Manes
Parcite iam luctu sollicitare meos.
'A decimo, *Murra* (*hoc* posuistis funere nati)
Trimus, et in decimo Mense, sepulte, iaces.
Criminis at quando nos ad se fata vocarunt
Immunes, nostris ossibus urna sat est (1).

XCIV.

CINVRA. MATER. SIBI. ET FILIIS
Hoc Epios tumulo Cinir est cum Patre sepultus,
Ante suos annos quos tegit atra dies.
His tumulum parvum Mater cum carmine fecit,
INGENIO. QVORVM. TERRAM. OPTATE.
LEVEM (2).

---

(1) Spon. *Miscellan. Erud. Antiq.* pag. 173. Quae a versu 12. et deinceps currentibus literis notata, haec suppleta a nobis utcunque noverit Lector. Nihil enim meminimus nobis adolescentibus contingere molestius consuevisse, quam in similibus sententiae interruptionem.

(2) Fabrett. pag. 284. n. 188.

XCV.

D. M.

Parvulus hic situs est. Vixit tris usque per annos:
Inque novem menses, invalidosque dies.
Nomine Grisologus, amabilis usque erat infans,
Flebilis, et misere raptus ad inferias.
SATVRNINVS. FILIO. VELIA. LALEMA DELE-
CATO. SVO. POSVIT (1).

XCVI.

AN. I. M. V. D. X.
DIS. MANIBVS.
PRIMILLA. F. SVO. ISMARO
Hoc tibi dat tumulum pietatis nomine Mater,
Et properat intro *solvere iusta. Vale* (2).

---

(1) Idem ad pag. 262. *Delecati* epitheton puporum proprium, quo Velia Lalema Saturnini Filium ornat.

(2) Ex *Mus. Veron.* pag. 358. Haud raro in fronte marmorum defunctorum annos suis cum mensibus, diebus, et horis est legere, ut in hoc nostro. Ut *titulus* et *titulum* saepiuscule, sic nunc primum *tumulum* in genere neutro occurrit.

XCVII.

D. M.
RESTITVTAE

Hoc castae iacet in tumulo pars magna Puellae,
Orbati dolor infelix utriusque Parentis,
Coniugis aeternum lacrimoso crimen amore,
Et cito desectae sobolis miserabile fatum.
Da quicunque legis, fletus, et parce sepulcro (1).

XCVIII.

D. M. SACRVM
TARQVITIAE. MODESTAE. QVAE. V. A. XV.
M. VI. D. VI. MODESTVS. ET. LICINIA
PARENTES. LACENIVS. MARITVS. C. QVAM.
DVLC.

Nam fuit eximia specie, miroque decore,
Membraque erant vere pectore digna suo.
VALE. VALE. DVLCISS (2).

---

(1) Murator. pag. 1736.

(2) Flettvood *Syll.* pag. 268. *C. quam* lege: *Coniugi quam dulci.*

XCIX.

LAELIAE. CLEMENTINAE
VXORI. INCOMPARABILI
Q. FVRIVS. SECVNDVS. MARI
TVS. ET. SIBI. VIVVS FECIT

Functa iaces hic: set vivis, vivesque Secundo
Laelia tuo; debent nec benefacta mori.
Te, Tellus, sanctosque precor pro coniuge Manes,
Vos ite placidi, tu levis ossa tegas.

VIXIT. ANNIS. XXVII (1).

C.

.D M.
TI. CLAVDIVS. ESQVILINA. AVG. TIBERI-
NVS HIc. SITVS. EST. FECIT. TAMPIA.
HYGIA. MATER. FILIO. PIENTISSIMO

Tu quicunque mei veheris prope limina busti,
Supprime festinum, quaeso, Viator, iter.
Perlege signum. Quam doleas pro funere acervo,
Invenies titulo nomina fixa meo.

---

(1) Ex *Mus. Veron.* pag. 173. n. 1. *Laelia tuo* sic tribue: *Lel-ia-tu-o*; vel si mavis, facta sincope ad vocem *tuo*, sic: *Lae-lia-to de-bent*. Utrumque enim non uno se exemplo tuetur. Pro ultimo en tibi de Festo exemplum:

Quam de tuas omnis legiones, ac popularis.

Pro priore exemplum est in *ariete*, et similibus. Ferrettus pro *Laelia* habet: *Lella*.

Roma mihi patria est: media de plebe Parentes;
Vita fuit nullis tunc violata malis.
Gratus eram Populo quondam, notusque favore;
Nunc sum defleti parva favilla rogi.
Quis bona non hilari vidit convivia voltu,
Atque meos mecum pervigilare iocos?
Quondam ego Pierio Vatum monimenta canore
Doctus cygneis enumerare modis:
Doctus Maeonia spirantia carmina versu
Dicere, Caesareo carmina nota Foro.
Nunc Amor, et nomen superest de corpore toto,
Quod spargit lacrimis maestus uterque Parens.
Serta mihi, floresque novos mea gaudia ponunt,
Fusus in Elysia sic ego valle moror.
Quod meat in stellis, deit hinc quod Pegasus ales,
Tot mea natales fata dedere mihi (1).

CI.

Virginis hic tenerae, Lector, miserere sepulcro:
Unius huic lustri vix fuit arta dies.
O quam longinquae fuerat dignissima vitae!
Heu! cuius vivit nunc sine fine dolor.

---

(1) Apud Ficoron. *Delle Maschere* pag. 22. Claudii anni duobus postremis versibus κατα poeticam την περιφρασιν describuntur, numeroque aequasse discimus sidera viginti, per quae *meat Pegasus*, dehinc *deeit*, hoc est regreditur. Claudii igitur vita annorum quadraginta. *Quod* pro *quot*.

Addamus meritis lacrimas tam mortis acervae,
Nam quae grata forent, sunt modo flenda diu.
Haec Theodotae habuit nomen, quae gaudia matris
Perculit aeterno vulnere rapta cito.
Sola tamen tanti restant solatia luctus,
Quod tales animae protinus astra petunt.
VIXIT. AN. III. MEN. VII. D. XXV.
DEP. III. NO. SEP (1).

CII.

Artibus ingenuis cura perdocta suarum,
Sortita egregium corporis omne decus;
Nondum bis septem plenis praerepta sub annis
Hac Corale casta condita sede iacet.
Ludite felices, patitur dum vita, Puellae:
Saepe et formosas fata sinistra ferunt.

CIII.

MINICIA. FORTVNATA. SIBI. ET. MINICIAE. TRYFENAE. LIB
Quaerere cessavi numquam, nec perdere desii.
Mors intervenit. Nunc ab utroque vaco.

---

(1) Fabrett. pag. 191. num. 439. Christianum sine dubitatione marmor.

(2) Gruter. ad pag. 908. num. I.

(3) Ferret. *Mus. Lap.* L. I. Mem. XXV.

CIV.

VIBIA. C. Ɔ. L. LATINA. F
VIXIT. AN. XIX
C. VIBIVS. C. L = C. VIBIVS. C. C. L = P. RABIRIVS. P. L
HELENVS FELIX HILARVS

Quae tibi cuncta mei potuerunt pignora amoris,
Nata, dari, populo sunt lacrimante data.
Et volui maiora nimis. Sed cura meorum
Fida tuei prohibet me cinerem esse rogi (1).

CV.

DIIS. MANIBUS. SACRVM
L. MANLIO. L. F. OVF. MONTANO
L. MANLIVS. GLAVCIO. SIBI. ET
ANIMISIAE. C. L. RESTITVTAE. VX
L. MANLIO. L. F. OVF. APRO

Manlius hic situs est Montanus, raptus iniqua,
Femineaqne manu. Insperans incidit aetas.
Fas erat, ut potius natus pia funera nobis
Penderet, et dignos coleret Manesque, Patresque,
Si Fortuna pie servasset vota Parentum (2).

---

(1) Apud Gruter. pag. 1000. num. 9. Vibiae, Caii, et Caiae Libertae, Latinae, quae vixit annis novemdecim, a Patre Vibio monumentum positum. C. C. sunt: *Caiorum duorua*.

(2) Idem ad pag. 1133. num. 7.

CVI.

D. M.
AELIAE. P. F. SABINAE. DVLCISSIM
AELIVS. TROPHIMVS. ET. LVCINIA
SABINA. PARENTES. FECERVNT

Quisquis ades, celeri gressu, precor, ito, Viator,
Ito procul, et linque nefas, tibi dico, Viator,
Parce oculis, nec nostra velis cognoscere fata,
Sanguinea palla quae texit provida Clotho,
Et pavit, rupisse suas quoque fila Sorores (1).

CVII.

L. VETIVS. NYMPHIVS
AVRIFEX. V. A. XVII

Et te, Terra, precor, leviter super ossa residas,
Sentiat ut pietas praemia, quae meruit.
Et quicunque suis sincere praestat honorem,
Felicem cursum perferat ad Superos (2).

---

(1) Fabrett. ad pag. 238. num. 635. Fere in funebribus ellogiis, ut sistant gradum, Viatores rogantur. Hic contra, ut celerent, ne oculi funere immerito puellulae dulcissimae veluti foedentur.

(2) Idem pag. 285. num. 193.

CVIII.

SCOPENI. VIX. ANN. XI. VETTIA
NATALIS. VETTIA. PRIMA. P

Fato crudeli si qua est erepta Puella,
Certe ego, quae Dominae cara puella fui;
Quae me omnes artes docuit, doctissima cumque
Essem, rapta Scope nunc tegor hoc tumulo. (1).

CIX.

EPITAPHIVM. REMO. ET. ARCONTIAE
QVI. NATIONE. GALLA. GERMANI
FRATRES. ADVLTI. VNA DIE
MORTVI. ET. PARITER. TVMVLATI
SVNT.

Haec tenet Urna duos, sexu sed dispare, fratres,
Quos uno Lachesis mersit acerba die.
Ora Puer dubie signans lanugine vestis,
Vix hiemes licuit cui geminare novem.
Nec thalamis longinqua Soror trieteride quinta
Taenareas crudo funere vidit aquas.
Ille Remi, Latio fictum de sanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Ast haec Graiugenam resonans Arcontia linguam
Nomina Virginio non tulit apta choro.
DEPOSITI. NONIS. NOVEMB. CONS. DIOSC. V. C. (2).

---

(1) Idem ad pag. 191. num. 444.

(2) Idem ad pag. 112. num. 277. Ineptit vates in *Arcon-*

CX.

Quicunque es, puero lacrimas effunde, Viator.
Bis tulit hic senos primaevi germinis annos,
Deliciumque fuit Domini, spes grata Parentum,
Quos male deseruit longo post fata dolori.
Noverat hic docta fabricare monilia dextra,
Et molle in varias aurum disponere gemmas.
Nomen erat puero Pagus: at nunc funus acerbum,
Et cinis in tumulis iacet, et sine nomine corpus.
QVI. VIXIT. ANNIS. XII.
MENSIBVS. VIIII. DIEBVS. XIII. HO. VIII (1).

CXI.

ANTONIAE. L. F. MAVRAE
MARITAE. PIISSIMAE. DULCISSIMAE
RARISSIMAE. CASTISSIMAE
TI. CLAVDIVS. SPERATVS. MARITVS
INFELICISSIMVS. V. A. XXXIII. D. XXXIX

---

tiae nomine, quod non aptum esset virginio choro. Dioscori Consulatus incidit in ann. Chr. 442.

(1) Idem ad pag. 184. num. 400. *Delicium*, *delicia*, *delicatus*, *delicatulus*, *issulus*, *issula*, *pupus*, *pupulus*, *pupa*, *pupula*, *titus*, *iaa*, puerorum, puellularumque propria vocabula in adblandiendi vim usurpata.

Itala me rapuit crudeli funere Tellus,
Dum foveo assidua sedulitate virum.
IN. FRONTE. P. V. IN. AGRO. P. VIII (1).

CXII.

Umbrarum secura quies, animaeque piorum
Laudatae, colitis quae loca sancta Erebi;
Sedes insontem Magnillam ducite vestras
Per nemora, et campos protinus Elysios.
Rapta est octavo, fatis instantibus, anno,
Carpebat vitae tempora dum tenerae.
Formosa, et sensu mirabilis, et super annos
Docta, decens, dulcis, grataque blanditiis.
Perpetuo talis gemitu, lacrimisque colenda
Infelix, aevo tàm cito quae caruit!
An felix aegrae potius subducta senectae?
Sic Hecuba flevit Penthesilea minus (2).

CXIII.

PVDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICVS
Procurator eram Lepidae, moresque regebam.
Dum vixi, mansit Caesaris illa Nurus.
PHILOLOGVS. DISCIPVLVS (3).

---

(1) Idem ad pag. 299. num. 71.

(2) Idem ad pag. 377.

(3) Gruter. pag. 655. num. 2. Lepidam Augustus L. Caesari primum, hoc deinde mortuo, C. Caesari, aut Ti-

CXIV.

Nonum post decimum compleras nubilis annum,
Vibia crudeli funere rapta viro.
Dum tibi progenies animo, dum fidis in illa,
Heu facinus! victrix, me tua vota gravant.
Molliter ad matrem placidi descendite Manes,
Elysiis campis floreat umbra tibi.
N. ATEIVS. EPAPHRODITVS (1).

CXV.

Rapta iaces nobis, quos Mater ad ubera liquit,
Atque viro pariter, quem cito destituit.
Triste ministerium gemini solvere Parentes,
Funere de tanto quos coquit ipse dolor.
DEPOSITO. SVPERAE. DIEM. QVINCTVM.
KL. IVLIARUM CONSVLE. CONSTANTIO.
V. C. QVAE. VIXIT. ANN. XXVII (2).

---

berio fortassis despondit, ni mores Lepidae obstissent, ablegato a se Pudente.

(1) Ex *Mus. Veron.* pag. 170. num. 4. *Victrix* dicitur Vibia viro suo, quod ab illius votis viri vota sint praegravata, qui uxorem sibi superstitem optasset. Nota N. *Numerium* praenomen designat.

(2) Murator. pag. 400. num. ult.

CXVI.

D. M. S.

Decimus a prima sectatus castra iuventa,
Circitor morior, praemia parca, senex.
Qui nulli gravis extiteram, dum vita manebat,
Hic functo aeternum sit mihi terra levis.
Dat Patruo ob meritum feralem Flavius urnam,
Ninnius et cinerem spargit odore gemens (1).

CXVII.

DIS. MANIBVS
Q. VOLVSI. SP. F. LEM. ANTHI

Parvolus, in gremio communis forte Parentis
Dum ludit, fati conruit invidia.
Nam trucibus iunctis bubus tunc forte Noveli
Ignarum Rector propulit Orbe rota.
Maestus uterque Parens, postquam miserabile funus
Fecit, inferiis munera summa dedit.
Hunc Antho tumulum, male deflorentibus annis,
Pro pietate pari, composuere suo.

---

(1) Gruter. ad pag. 540. num. 4. Aterni monumentum repertum. Circitoris, sive Circatoris officium erat, militum vigilias circuire, quo hi muneri suo in stationibus vacarent. Vid. *Veget.* Lib.III. Cap.8. Notandum, *i* in *Circitor* productum, quod fere corripitur.

Q. VOLVSIVS. Q. L. ANTHVS. PATER. FECIT
SIBI. ET SILIAE. Ↄ. L. FELICVLAE. CONIVGI
. SANCTISSIMAE VOLVSIAE.· Q. F. NICE
Q. VOLVSIO. Q. F. ANTHO FILIAE. Ↄ. L. NICE.
C. SILIO. ANTHO
IN. FR. P. VI. IN. AG. P. IIIS (1).

CXIX.

* * E T R E I A T H E
* T
E I
T S
R *Mulier Stolata.* S
E Etreia Thetis sita I
I hic est. T
A A
T H
H I
E T I ——— H I C

Os cineri mistum, rapido cum decidit igni,
Inseditque super flava favilla rogo,
Pondere subiecto Thetidis, componimus: ossa
Grata magis Terrae, quam tibi Luna, Capys.
Id sumus, ut cernis: Titulo donamur inani,
Serta quod, et tumulum, florida saepe ligant;

---

(1) Marinius *Atti e Monum. Frat. Arvali.* P. I. pag. 123. P. IIIS. Ped. III. cum semisse. LEM. *Lemoniam* Tribum innuit.

Ac teretes onyches fusi, gracilesque alabastri,
Dispositum ac pomum temporis omne sui (1).

SCHOLION.

Scilicet hoc mentis humanae fatum, ut etsi maxime velit, in idque unice intendat, numquam tamen sibi caveat satis. Cum igitur quaedam per viam incogitantibus exciderint, in haec ne lector incautus offendat, monendus.

1. Ad pag. 17. ad vers. ult. in quo haec habentur: *quod tamen factum in verbis primae, et secundae coniugationis nusquam memini*, deleto verba: *et secundae*.

2. Ad pag. 46. not. ad. voc. *Iliadas* adde: Heinsianam vocis huius emendationem demum videre contigit apud Burmannum, quam is *felicissimam* ait, cuique nos manu plaudimus utraque. Est autem huiusmodi

Phyllidos armatas sollicitare manus.

Quid igitur de divinatione nostra?

---

(1) Marin. *Frat. Arv.* p. I. p. 830. Aquini effossum epigramma, elegans sane, sed paullo fortasse subobscurius, quam pro tironum captu. Sensus est: Etreiae Thetidis ossa, et cineres, reliqua e rogo, terrae (sic enim restituendum, quod legitur *terae*) commendari: ossa Thetidis gratiora terrae esse, quam Luna Capy grata est. Capyn accipiendum puto pro agro Campano, qui Luna praecipue gaudet ob suam planitiem, foecunditatemque. Post haec nihil reliqui est, quod Etreiam contingat. *Id sumus ut cernis.* Excipe *titulum inanem*, quo donamur, quod titulum, et *tumulum*, *saepe ligant florea serta*, et *onyches fusi*, et *graciles alabastri*, et *poma*, quae suo quaeque tempore ad tumulum de more afferrentur.

Hanc tanti, *quanti quisque volet*, *faciet*.

Quae si forte non improbabilis omnino videatur, *armatae manus* intelligendae ludicro quovis flagello ad terrendi speciem, quo Epicuri discipuli, quasi in feriandum segnes, sollicitarentur.

3. Ad pag. 101. ad not. adde cit. Ptolemaei. *Anth.* L. 1. C. 46. n. 5.

4. Ad pag. 125. ver. 2, ubi habes, *lilia*, *sintque rosae*, lege: *Sint ia*, *sintque rosae*. Sunt autem *ia* violae genus, quod ultro innascitur arvis.

5. Ad pag. 132. recurrit Epigramma allatum pag. 36. v. 1. Nymphae ad fontem dormientis. Quod extat ad pag. 132. ad marmorum Borbonicorum familiam vere pertinet, secus aliud. Est tamen aliquid, quo alterum ab altero differat, quod videsis utrumque conferendo.

6. Ad pag. 132. in Not. n. 3. *consita* pro simul genita si cui placeat et pro *simul sita*, sive *sepulta*, accipere, liberum esto, veteresque illi inscriptiones favebunt, in quibus voci huic videre est talem subiectam notionem.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 25. v. 20. *mittere.*	*remittere.*
Pag. 32. v. 10. *sequitu.*	*sequitur.*
Pag. 48. v. 10. *Optavit.*	*aptavit.*
Pag. 76. v. 12. *quies.*	*queis.*
Pag. 80. v. 5. *adlucerunt.*	*adluerunt.*
Pag. 96. in. not. *tempor' ia*	*temper-i*
Pag. 121. v. 7. VLIIAE.	IVLIAE.
Pag. 148. DINERES.	CINÈRES.

PARNASSI LAPIDARII

FRUCTUS CADUCI

SIVE

Auctoris τα παραλιπομενα quaedam.

I.

Ingens Aphronimo mens est: quis denique nescit?
Sed pro taurina mole pusilla tamen.
Hinc isti dum tota vacat noctesque, diesque,
Non habet, officiis quo vacet ipsa suis.
Aphronime, hanc augere cupis? iam detrahe ab illa.
Quantum, inquis? quantum sat culici reliquum.

II.

Stulti inepta sollertia.

En: quanti piper est? Rudis inquit, praebet et assem:
Tantumdem et pensat Venditor ad trutinam.
Sed modicum chartae est, quo amicitur. Restitit ille,
Atque doli metuens abnuit accipere.
Hic piper imminuit, chartam sed callidus auget,
Quo Rudis ornatus munere laetus abit.

III.

DOMINICO. DE. HIERONYMO
A. CRIMIN. IVDICANDIS. II. CVR. NEAP.
PRO. PRAEF. INTEGERRIMO.
IN. GALLVM. INDICVM. DELATIO

Hic reus est mortis : sed mortem indicere sonti
Me sancti prohibent iura ministerii.
Mitto tibi, Nemesis cui iura cruenta tributa,
In quem lunatam litterulam iacias.
Ne desim officio ipse meo, post funera condi
Delatum, sine me, ne sine sarcophago.

Titulus.

Ut licuit, tumulum tibi fecimus, Indice Galle.
Nunc tumulo ipse tuo ne gravis esse velis.

IV.

Tu ne crede oculis: per agros nam currere dices,
Quae manet in solido marmore scalpta lepus.

V.

In turpem livorem.

Unde vapor, Tulli, qui nostras inficit auras ?
Scilicet infernae triste Mephitis opus.

Quidve petit? radios Orbi subducere Phoebi.
Quid Phoebus ? transit. Quid vapor ? aura, nihil.

VI.

Stulta invidia.

Triginta e centum foetura bidentibus agnos
Dat Lyco; habetque unam vix Meliboeus ovem.
Dat binos haec. Triginta tamen invidet illi,
Felicemque Lycum ter Meliboeus ait.
Tum Lycus: adde tuis nostros; mihi at addito Matres,
Non pro foetura, sed capitum numero.
Nil Meliboeus ad haec. Tantum qui pallidus ante,
Contaminata rubris praebuit ora notis.

VII.

Equus, et Asinus.

Iam Circi medium fortasse tenebat Asellus:
Stabat Equus, nullo sollicitante, piger.
Dedecus hoc, ait ille, stat ad testudinis instar,
Vix credens, nobis tam bene stare pedes.
Ventus Equo haec tulit: hic vento velocior ipso
Carpit iter tacitus, transiluitque Asinum:
Qui cernens insueta sibi miracula cursus,
Et rudit, et pedit, rumpitur invidia.

VIII.

Musae contumaces nil pro praesenti suggerunt ad implendum tetrastichi locum.

Vos peto? terga datis. Non quaero? occurritis ultro.
　Est et musarum faemineum ingenium!
Sed valeant musae, quando sine numine tali,
　Adplicuit iam, quo cymba tetendit iter.

XI.

Stulta petitio prudenti responso eliditur.

Carmina poscit Athos: promittit carmina Taurus.
　Quae tamen, hic subdit? graeca, reponit Athos.
Cum beta Taurus graecum balbutit et alpha;
　Haeret at in gamma. Caetera quid memorem?
Nec pudor idcirco mentem Tauro abstulit, immo
　Cum verbis mentem sufficit ipse pudor.
Et graecas, inquit, puto te novisse Calendas.
　Dum redeant, toleres: carmina graeca dabo.

X.

In petitorem importunum.

Dic, *da*, *fac*, tria tela manu geris, Hostice, semper,
　Et latus assidue, pectus, et ora petis.

Proiice tela manu: miserum sat cernis *habere*.
Vel primum retine, caetera proiicito.

XI.

Superbiae crimen depellitur.

Quod praestem ingenio tibi, nominor inde superbus,
Talem et, Mopse, putas. O caput insipidum!
Quis non hoc, duplo, et decuplo tibi praestet, et ultra?
Ergo superbi omnes. O caput insipidum!

XII.

Ad Trojanum Comit. Marullum.

Macte Marulle animo, numquam tua fama peribit,
Tam bene qui patriae consulis historiae.
Nam qui, tanta virum vivant ut nomina, curas,
Qui vir non celebret? qui periturus eris?

XIII.

Eusebius, et Eurillus.

Ut sapiant pueri, discant ut vivere honeste,
Qua re, qua factis, praecipit Eusebius.
Nec satis hoc. Verbum verbo praecepta referri,
Altius ut maneant, imperat assiduus.

Ut *Pontem* vitent, gravius praeceperat olim,
Qui sonat *Obscurus*, notus at ipse satis.
Mox iubet, Eurillum dictata referre docentis,
Ne forte incautis exciderent animo.
Et *Pontem*, hic inquit, prohibes tam saepe subire,
Quem *Nigrum* semper dicere te, memini.
Tam saepe, Eusebius clamat, Mastygia? *saepe*!..
Edixi: *numquam*, verbero, *numquam*.. At ego..
Quid plura? hic iam tertius annus: dicere *numquam*,
Iratus nondum destitit Eusebius.

XIV.

Inepti eruditul.

Pauca quibus novisse datum, quae contigit ipsis
Noscere, si nescis, te nihil esse putant.
Siqua alii norint, sint quamvis bella, quod ipsi
Ignorant, pariter pro nihilo reputant.
Quid facias his, qui sapiunt sic, docte Camille?
Et sapere hos dices, sed sapere insipide.

XV.

SECVRITATI. MEMORIAEQ. AETERNAE
OCTAVI. CLARITIAE. BENEDICTI. F.
DOMO. SAEPINATE
V. CL. SAC. THEOL. MAG. EX. ORD. PRAE-
DICAT. S. MARC. CAVOT. PRIOR. PROVINC. III

Vidit, et integrum, me nonagesima messis.
Tertia surgebat. Non datur ulterius.
Si numeres annos, vitae si praemia spectes,
Illorum satis, haec nulla fuere mihi.
Dum vixi, vixi. Viventem corripuit Mors.
Mortuus et chartis vivo, loquorque meis.

DEP. D. XVI. KAL. MART. MDCCCXXII
RAYM. G. MEMORIS. ANIMI. CAVSSA. P. C.

XVI.

Allegoria.

Qui veterum assidue lustrans monumenta, laborum
Eunus doctorum praemia saepe tulit;
Incidit in marmor, quod non fas dicere priscum;
Sed purum, et Parium, credidit ille tamen;
Extundi unde aliquid prisci fortasse saporis
Posset, tractaret si modo docta manus.
Nonus et a decimo prope iam iam impenderat annus,
Eunus quo marmor sedulus usque polit.

Dum putat, inde aliquid tantis par cernere curis,
Pene est oppressus marmore praecipiti.
Sero, alia tractanda manu nova marmora, sensit
Eunus; et ad veteres se recipit lapides.

XVIIII.

In Erycem vanum, atque ebriosum.

Est formosus Eryx, Deus est. Sic praedicat ipse,
Quem pereant pupae, quem pereantque Deae.
Quis dedit, esse Deum? formae exemplum unde petitum?
Quaeritur, in partes Diique, hominesque abeunt.
Bacchus ad haec inquit: solus vinaria tota
Terret, et haurit Eryx. Ipse dedi, esse Deum.
Dicere de forma superest. Minotaurus et illis,
Mulciber his, aliis tu, Polypheme, places.
Socrati Aristophanes dat primas. Addit at idem:
Bis tamen exemplar vicit Eryx Socratis (1).

---

(1) Socratis formam Sileni simillimam norunt antiquitatis studiosi. Quin cum Xenophon *in Conv.* pag. 883. *Silenorum omnium turpissimum* vocat.

XX.

De Caesare, et Pompeio.

Stamina Pompei *Caesar*, pompamque *cecidit*:
 Sic fato aptatur nomen utrumque suo.
A *caedo* caedens, *caesusque*. Hinc *caesus* et ipse
 Fati implet tandem *Caesar* utramque vicem.

XXI.

De Archilyco, et Euno.

Bis senos habet Archilycus male fidus amicos,
 Quos putat esse hostes, et simul adgreditur.
Archilycus, quamvis acer, tamen omnibus impar
 Unus, cum denis transigit, ut licuit.
Iam superest Vindex, et qui Archilycum unice amabat,
 Eunus: at hic, prae illo, mitior ingenio.
Vindice et, Archilycus, misso, ruit omnis in Eunum,
 Quod nempe est habitus viribus inferior.
Quod partem insequeris peiorem, clamitat Eunus,
 Archilyce, hoc laudo: sic Schola namque docet.
Quod tamen immeritum sic insectaris amicum,
 Laudet, qui leges nescit amicitiae.
Nec mirum, qui se iam non hominem putat, illum
 Humani expertem iuris, et officii.

XXII.

Marm. Mus. B. ab. A. descr. coll. dig. et illustr.

Ut taceant Cives, tantum potuisse laborum
Unum humeris hominem sustinuisse suis;
Clamabunt Lapides; omnis clamabit et aetas,
Si modo non aetas omnis erit lapidum.

XXIII.

Plurima Pantolabus collegit pauca serendo:
Eunus multa serens colligit inde nihil.
Nec tantum numero praestant, quae severat Eunus,
Pantolabi at praestant conditione satis.
Nil fruges meritae. Caeli natura, solique
Et favet una malis, et nocet una bonis.
Scilicet haec fati sors, ut non omnia possit
Quivis! Hinc serit hic, colligit inde alius.

XXIV.

Coronis.

Sunt hi decidui fructus ex arbore tanta,
Quos tanti, quanti quisque volet, faciet.
Prae cultu, exiguum munus. Felicior ipse,
Assidueque colens, uberiora legas.

A SUA EMINENZA REVERENDISSIMA

Il Cardinale Arcivescovo di Napoli, Presidente della Giunta Permanente di Pubblica Istruzione.

EMINENZA

Il Direttore della stamperia della Società Filomatica desidera stampare l' opera intitolata *Prosodiae latinae fundamenta ec. Raymundi Guarini.*

Prega perciò l'Eminenza Vostra Reverendissima di accordargliene il permesso -- Vito Buonsanto.

Addì 19. *Gennajo* 1822.

Per disposizione di Sua Eminenza, il Regio Revisore Signor D. Biagio de Robertis avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, ed osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità, col farne in iscritto rapporto alla Giunta.

Il Membro della Giunta Deputato
FERDINANDO CANONICO PANICO.

A SUA EMINENZA REVERENDISSIMA

Il Signor Cardinale Arcivescovo di Napoli, Presidente della Giunta Permanente di Pubblica Istruzione.

Per mezzo del Signor Canonico Panico, Membro, e Deputato della Giunta Permanente di P. I. si è compiaciuta V. Eminenza Reverendissima in data de' 19. del prossimo caduto mese sottomettere alla mia Revisione un manoscritto latino, che si vuol dare alle stampe, intitolato *Prosodiae latinae fundamenta cum Parnasso lapidario Raymundi Guarini.* Io mi ho fatto un dovere di leggerlo attentamente. Ivi il chiarissimo autore, cognito abbastanza nella Repubblica Letteraria per altre sue dotte produzioni, ha voluto in principal

modo rendere agevole alla Gioventù studiosa l'intelligenza del prisco latino metodo lapidario. È venuto a capo del propostosi impegno col salire ingegnosamente alla sorgente della prosodia latina, da cui derivano certi vocaboli, che si offrono sulle prime oscuri nelle iscrizioni antiche. Lo ha fatto con tal chiarezza, e precisione, che nè il Ferretti, nè il Bonada possono assomigliarglisi. Ridondando perciò una tale opera a non lieve vantaggio dell'amena Filologia, e rimanendo in quella eziandio illesi i sacri dritti della Religione, e della Sovranità, son di avviso, che possa esser degna della pubblica luce. Baciandole per tanto il lembo della sacra porpora sono con la più profonda venerazione

Di Vostra Eminenza Reverendissima.

Napoli 6. Febbrajo 1822.

Umilis.° Dev.° Ubb.mo servitore, e suddito
Il Sarcedote Biagio de Robertis Regio Revisore.

Napoli 11. *Aprile* 1822.

La Giunta Permanente per la Pubblica Istruzione.

Veduta la domanda del Direttore della stamperia della Società Filomatica, per dare alle stampe l'opera intitolata -- *Prosodiae latinae fundamenta cum Parnasso lapidario Raymundi Guarini*;

Veduto il favorevole rappòrto del Regio Revisore Signor D. Biagio de Robertis;

Permette che l'opera indicata si stampi; ma ordina, che non si pubblichi senza un secondo permesso, che la Giunta darà dopo l'esibizione dell'opera stampata, munita del *Concordat cum originali*, che lo stesso Regio Revisore vi apporrà.

Il Presidente
L. Cardinale Arcivescovo.

Il Segretario Generale, e membro della Giunta
Ferdinando Canonico Panico.

